ANACEPHALAEOSIS
CEU
BREVIS RES
DIPLOMATICA
SUPREMI
ANGELICI CONSTANTINIANI
HERACLIANI,
PRIMI, ORDINIS
S. GEORGII;
CUJUS
(JURE SANGUINIS)
MAGNUS MAGISTER
PERPETUUS,
D. JOANNES ANTONIUS
ANGELUS FLAVIUS COMNENUS
LASCARIS, PALÆOLOGUS &c.

Dat, Dicatque
LAURENTIUS VIGILIUS de NICOLLIS,
Sacerd. Nob. Trident.
INDULTU SUPERIORUM.

POSONII, Typis Joannis Pauli Royer,
Anno Christi MDCCXXII.

PROTECTORI
ORDINIS SUPREMO
CAROLO VI.
ROMANORUM
IMPERATORI;
SEMPER AUGUSTO;
R E G I

Germaniæ, Caſtellæ, Aragoniæ, Legionis, utriúſque Siciliae, Hieruſalem, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Gallitiæ, Majoricarum, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibraltaris, Inſularum Canariæ, & Indiarum, ac Terræ firmæ, Maris Oceani;

ARCHIDUCI AUSTRIÆ;
DUCI

Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Styriæ, Carinthiae, Carniolae, Limburgiae, Lucemburgiae, Geldriæ, Wirtembergæ, Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Calabriæ, Athenarum, & Neopatriæ;

PRINCIPI
Sueviæ, Cataloniæ, & Aſturiæ;
MARCHIONI
Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, Moraviæ,
Superioris, & Inferioris Luſatiae;
COMITI
Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis, Ferretis,
Kyburgi, Goritiae, & Artheſiae;
LANDGRAVIO ALSATIÆ,
MARCHIONI ORISTHANI;
COMITI
Goziani, Namurci, Roſſilionis, & Ceritaniæ;
DOMINO
Marchiæ Sclavoniæ, Portûs Maonis,
Biſcajæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis,
& Mechliniæ;

PRINCIPI
OPTIMO
CLEMENTISSIMOQ;

SACRATISSIME
MONARCHA

CLEMENTISSIME
DOMINE, DOMINE.

QUemadmodùm Sol ſiderum Princeps inter Ignes minores, *AUGUSTISSIMA MAJESTAS TUA*, CÆSAR! reliquos inter Principes eminet, & emicat. Si Te in altiſſimâ

tissimâ luce fulgurantem intuemur, omnes Avorum Splendores, quibus Terrarum Orbis tot Seculis illustratur, in unâ Fronte Tuâ refulgent. *RUDOLPHOS*, *ALBERTOS*, *FRIDERICUM*, *CAROLUM*, *MAXIMILIANOS*, *MATTHIAM*, *FERDINANDOS*, *LEOPOLDUM*, *JOSEPHUM*, jàm dudùm Coelô, unde descenderant, receptos, in *AUGUSTISSIMÆ MAJESTATIS TUÆ* Numine, ac Lumine redivivos veneramur: Felicitatem, Potentiam, Securitatem admiramur: Aulam, Exercitus, Triumphos obstupescimus. Hæc Æternitatis Augustæ Præsidia, *D. RUDOLPHUS HABSPURGICUS*, sanctioribûs Auspiciîs, & officiîs, in Domum Austriacam Primus intulit; Quandoquidem, in ipsius solemni Coronatione, cùm Sceptrum desideraretur, acceptâ ex Aris *S. Cruce*, pro sceptrô, scutóque

que usus est. Et Tu, ô IMPERATOR! cùm electus, & evectus esses ad Solium, Religiosissimæ Avorum Pietati, ac Patrum Virtuti, *Constantiam, & Fortitudinem* adsocians, Domi, forísque Principatum legibûs armavisti, & armîs condecorâsti: nàm ruptô Barbarorum impetû, fractísque Asiæ Virîs, ac Viribûs, in Sac. Regno Angelico, Mariano, Apostolico, Triumphale *S. Crucis* Vexillum, quô armatam Eugenii Dexteram muniveras, luculentissimô *RUDOLPHI* Exemplô, feliciter exaltâsti; Securîs, sub hôc Labarô, Provinciîs auctîs, & avitîs, Civibûs, Amicîs, Sociîs omnibûs. Dùm utrámque Pannoniam, Latium, Græciam, átque Universam simul Europam, ab armatô Asiaticorum suppliciô vindicaturus, datîs supplicibûs induciîs, Constantissimâ Fortitudine clausisti. Imp. *CONSTANTINUS M.* Ma-

M. Maxentium, Deo Comilitone, & Æthere militante, in Signô *S. Crucis*, quam ſacerrimâ radiorum tempeſtate fulgidam in aſtris aſpexerat, Triumphavit; Triumphum *Cruci* adſignavit: *Crucem* Almæ, ac æternæ Urbi invexit: Venerationem illius indixit, & *Crucis* Triumphalis auſpiciô, Equeſtrem Auratæ Militiæ Ordinem, in Reipubl. Chriſtianæ Tutelam inſtituit; duraturô ad poſteros Beneficiô immortali, & Documentô hôc publicô: Non feliciùs pugnari, ac vinci, quàm fortunatiſſimîs *S. Crucis* Auſpiciîs.

Quod *Crucis* Triumphus illuxerit, divinæ munus eſt Providentiæ; quod Sac. Conſtantinianus Ordo floreat adhuc, Domûs Auguſtæ Auſtriacæ Cæſareæ Beneficentia eſt, átque Clementia; Cui ſuperſtites Palæologi ſervatam Nominis ſui, & Inclyt. Ordinis Dignitatem in acceptis referunt

runt; Quandoquidem potentiſſimi Cæſares Auſtriaci, Sereniſſ. Palæologorum Gentem, poſt excidium Byzantinum, peculiaribus ſemper Gratiîs proſecuti, Conſtantinianum hunc Ordinem, ac Magnos Ejusdem Magiſtros, perpetuîs Privilegiîs Cæſareîs, Gratiîs, & Indultîs dignati ſunt. Pari Clementiæ Auſtriacæ Dignatione, AUGUSTE! Tibi Sacratum, Tuo Nomini devotum, Tuo Honori militantem Palæologum S. Regno Hungariæ nuper adnumerâſti; ut totus eſſet Tuus, & Civis obſequiô, & Ordinis officiô: Cujus Ordinis *Anacephalaeoſin Diplomaticam*, devotiſſimô Animi Cultu offero; & cui alteri Res Ordinis darem, quàm CAROLO, Pio, Felici, Auguſto, quàm *PROTECTORI* Hæreditario, quàm ſeculi Noſtri *CONSTANTINO?* Quid igitur ſupereſt, nisì, ut Sac. Angelicus Conſtantinia-

tinianus, Heraclianus Ordo Equester, Augustæ Domûs Austriacæ Jugi Tutelæ consignatus, ad DEI ter O. M. & D. Georgii Eq. Cultum, Honorem, Gloriam, vigeat, floreat, perennet? precatur

SAC. CÆS. Cath. R. M. T.

Humillimus & Fidelissimus
Subditus

L. V. de Nicollis.

L. B. S.

QUemadmodùm Ætna ſæpe diem obſcurat, & illuſtrat Noctem; Sic immania Scripturientium Auſa res Angelici Ordinis Conſtantiniani variô, variegatòque calore, & colore (tanquàm Mythologica Arcanorum Involucra) obvolverunt: aut, partim per invidiam nimis parcè: partim per vanitatem nimis prolixè retulerunt; aut, cenſoriâ aſperitate, ac indignantî ſtimulô perfodiendas ſuſceperunt; aut, denique tàm aſſeveranter mendacia adportaverunt; ut ipſam veritatem in dubium vocaverint: non ratione, ſed affectu, ſtudióque. Sed, exſurge, Veritatis Numini ſacer, Geni! age! & quaſi de patientiâ erumpe! Túque, O Bellatorum Præſes, Dive Georgi, ſub cujus invocatione ſacerrimus hic Ordo militat, tuam Cauſam pius adjuva! vide, non

non poſſunt rationem reddere: ergo calumniam; quod vindictam exigit. Verùm, non committunt Animi altiora cogitantes, ut velint laudari, aut contemni; Neque hîc ad convitia, ſed Judicia attenditur. In Annalibus, non Anilibus, Antiquiſſimi Ordinis Conſtantiniani Memoria ſacratur; Quem vetuſtæ Majeſtatis Ordinem, verus, vivus, Fortis, qui ſecula diſponit, DEUS, *in Rei Chriſtianæ Tutelam, ac Præmium Virtutis, inſtituit: ut SS. Nomen* JESU, *quod eſt ſuper omne Nomen, non tantùm in Urbe, Pomæriis, Agriſque Romanienſibus, velut in Adytis, & Abditis Sacris Eleuſinis, ſurdam per Tubam, ſonaret: ſed & hic ſonus per omnem Terram exiret; & Conſtantinianum* Crucis *Labarum, quod Dominus in Tropæum poſuit æviternum, à ſolis ortu uſque ad occaſum regnet, vincat, imperet, atque integrâ ſeculorum veneratione adoretur.*

CAPUT I.

CAPUT I.

DE AUSPICIIS SAC. ORDINIS.

ROma malè felix, ſub imperitantium tunc Principum longâ Tyrannide, per tria & ampliùs ab redempto per *S.Crucem* mundo, ſecula, jam ingemuerat; & almam illam Lucem, quæ illuminat omnem hominem, tenebræ nondum comprehenderant. Illa quidem, Conſiliis, Armisque potens, & terrâ, & mari Imperium dilataverat, & utróque cum ſole Aquilas ſuas provexerat; ſed promiſcuâ Religione omne demum illud amplexabatur, quidquid à vanis Gentium vanitatibus fuerat inſtitutum; Nam, more antecedentium gregem, cæca cæcos ducebat, ac ſeducebat: eò certiorem viſa habere fidem, quo falſiùs, fallaciúsque per Patrem mendaciorum fuerat perſuaſa.

Verum enim verò quantò pertinaciùs per ministros tenebrarum erat illaqueata, tantò mirabiliùs, átque feliciùs, per Angelos Lucis soluta fuit, & in viam pacis ducta. Ex Magistrâ falsitatis facta Discipula Veritatis, serò & seriò cognovit: minus fuisse, quod impotens, ac flagitiosa Dominationis humanæ libido fortiter subjecerat: quàm, quod omnipotens, & prodigiosa Divinæ potestatis dextera suaviter subdidisset: & latiùs, lætiúsque Religione, quàm Regione, regnari.

Quandoquidem cœlesti Providentiæ placuit: ut, eversis tenebrarum operibûs, & excisâ Tyrannide, Urbs Sancta, Electa, Inclyta, tandem ex umbris, in quibus diu sederat, in lucem adsereretur: Caput extolleret: lacertos moveret: & excelso super omnes gentes Domino, in perpetuum Gloriæ Tropæum adsurgeret. Quo Roma, & Arx, & Ara *S. Crucis* salutaretur, & Lignum Vitæ æternæ, Urbis, & Orbis Clypeus, & Armatura: Pastorum Virga: Populi Columen: omnium bonorum Fulcrum, & efficax gratiæ Pignus haberetur.

Quibûs igitur Auspiciîs, & Tyrannis lapsa: & Stirps in resurrectionem gentium posita, fuerit exaltata (ut ut prolixè, variéque aliis) hìc paucîs referre visum est.

Divisis inter Constantium, Constantii Chlori Filium, & Galerium, Provinciis, dum hic ab Hispaniâ

niâ abeſt, Romanienſes, rerum novarum cupidi, alia, atque alia pravæ Dominationis monſtra parturiunt.

Eligunt cohortes Imperatorem, quem Tyrannum priùs, quàm Principem, ſunt experti; fuit is Maxentius. Electionem S. P. Q. Romanus indignè ferens, Tyranno ſe ſubducere ſatagit; adeóque per Legatos Imp. *Conſtantinum*, Conſtantii Chlori Filium, in Patriæ tutamen implorat, eundémque ex Britanniâ evocat. Arcana conſilia Divina, quæ Abyſſus multa, hìc primùm eluxerunt: quòd DEUS, ad convertendos, & evertendos Ethnicos, Ethnicum etiam Principem elegerit. Magnanimus namque Cæſar, apparatu, quo Principes ſolent ad Bellum procedere, ſe accingit, piúmque opus aggreditur; Jámque è longinquo Vexilla Aquilarum plena, ſub quibûs in priſtinam libertatem reſtituatur, lætabunda ſalutat Italia: & modò non ſpem, ſed fiduciam captat. Maxentius intereà nihil non agit: validum cogit militem, & adventanti jam Cæſari, Brixiæ, Veronæ, in Pedemonte, & Alpibus tranſitum contendit. Imp. *Conſtantinus* verò, Exercitum compluriumBellorum vicibûs exercitatum in aciem ductat; hoſtem intrepidus adoritur; ubique adorſus profligat, vincit, triumphat: & purpurata, laureatáque Arma in conſpectum Urbis Romæ profert. Maxentius, ad tanti intuitum Triumphi attonitus, ratione procul, & conſiliô, velut agitata furiîs Bellua, ipſam

Romam ſuo furori immolare cogitat ; hinc propè universum ad arma Latium adigit, atque Imperatorem adclamatum (cùm nihil aliud poſſet) à tranſeundo Tiberis fluvio arcere nititur ; ipséque ex Urbe egreſſus, pro faciliori, ut quidem videbatur, tranſitu, per ſubtractas ad Milvium pontem naves, Imp. *Conſtantino* inſidias, & interitum machinatur.

Hìc jam in ipſo agro Romano fit periculum tam arduæ, juſtæque Cauſæ. DEUM ! quæ Auſpicia ! quæ Magnalia ! quæ prodigia ! In ancipiti hâc Bellì aleâ, præcipitíque rerum fortunâ, dum utrinque Duces ad certamen parant, Imp. *Conſtantinus*, repentinâ luce circumfuſus, velut in igneam ſolis ſtatuam radiatur, ac ſuorum jam immemor Deorum, tanquam alter Saulus, hoc ſacrô fulgure, ac fulgore ſaucius, Magno Exercituum DEO, res, & ſpes ſuas conſignare in animo habet.

Vix benè hæc ſecum exagerat Cæſar ; &, ecce! cœlitus meretur adlòquium, magnáque ad Victoriam fiduciâ accenditur. Quo Divino ductus Oraculo, ſanctiora adhuc agitare conſilia occepit: atque, dum jam ſpe plenus, oculos ad cœlum volvit, res mira! in aſtris ſignum *Crucis* fulgidiſſimum cbntuetur. Qui ſtupendus fulgor ita mentem Cæſaris illuminavit, ut nequaquam putaret negligendum, quod tantô portendebatur Indiciô. Cùm autem non nihil hæret, quidnam hoc ſibi prodigiô adſignificetur?

hanc


hanc nunciam audit vocem : *In Hoc Signo Vinces!* Quòd ipſum cùm Cæſar altiorî mente volutaret, en! altereâ vice, *Crucis* ſignum conſpicit : &, nihil tale cogitans, atque inſcius, Athleta Chriſtianus deſignatur. Hâc ſuper re, arcanîs tandem rationibûs eruditur, confirmatúrque : ex appropinquante Maxentii ruinâ, Reip. Chriſtianæ Aras, & Focos erigendos; dummodò Cæſar, ſub Auſpicatiſſimo *Crucis* Labaro, deſperatiſſimum hoſtium Exercitum, animô fortî, magnóque aggrederetur.

Exploratiſſimo igitur nutui Divino obtemperans Imp. *Conſtantinus*, & ſe, & ſua *S. Cruci* conſignat; & promiſſæ Divinitus Victoriæ ſecurus, hanc eandem *Crucem* (ut apparuerat) hoc Græcis ſolemni ſignô ☧ exprimi : eóque Paludamentum, ſcutum, galeam, loricam inſigniri : ac Labarum Cæſareum, in Exercitu præferri ſolitum, eôdem hôc Signô intextum geſtari juſſit. Integram rei ſeriem Imperator, Perſarum Regi perſcribi voluit.

De Conſtantiniano hoc Labaro prudens Prudentius:

Chriſtus purpureum gemmati textus in Auro
Signabat Labarum, clypeorúmque Inſignia Chriſtus
Scripſerat : ardebat ſummis Crux addita criſtis.

 Ver-



Vertebatur Annus reſtauratæ per *Crucem* Salutis trecenteſimus decimus tertius: Imperii Imp. *Conſtantini* ſeptimus: Pontificatûs Melchiadis ſecundus; cùm Maxentius, toto quaſi marte comitatus, ex Urbe in campum egreditur, & effrœnatâ Tyrannide, furore, libidine ſecum luctatur. Verùm, Imp. *Conſtantinus*, nec quicquam perterritus, ſed *Cruce*, quæ illi in cœlis apparuerat, animatus, & armatus, cum Ducibus, & Exercitu, eôdem *Crucis* ſignô (velut totidem Inſignibûs, ad gratum terrorem radiantibûs)

tibûs) vasta inimicorum castra fulminat, evertit, capit. Non homines, non æther, non elementa, sed Dominus Exercituum; affulgente, ac vibrante *Crucis* vexillô, cum, & pro Imp. *Constantino*, militavit. Maxentius, suîs jam rebûs desperatîs, ipse desperatior, Urbem repetere cogitat; sed pontis, malô suô, sibíque pessimô consiliô, ad Insidias structi immemor, antequam hostem in prælio fuisset expertus, in ultrices Tiberis undas præcipitatus, & mersus, Imp. Cæs. Aug. *Constantino M.* Victoriam, quam interitu suo nobilitaverat, cedere coactus est. Quem casum fatui Principis idem Prudentius ità prosequitur:

Milvius exceptum Tiberina in stagna Tyrannum
Præcipitans, quænam victricia viderit Arma
Majestate Regi, quod signum dextera vindex
Prætulit, & quàli radiârunt stemmate pila.

Roma, felix, fausta, fortunatáque, festîs Populi gaudiîs Triumphatorem excipit, eundémque ad Capitolium, Caput Urbis, ducit; Senatus, PATREM PATRIÆ, RESTAURATOREM LIBERTATIS ROMANÆ, FUNDATOREM QUIETIS, IMPERATOREM UNIVERSI, Acclamatione publicâ salutat. Sacratissimúmque illud *Crucis* Signum, in quo *Constantinus* triumphaverat, omnî venerationis cultu prosequitur; ut iterum famigeratissimus hic vates:

Tunc

——— ——— ——— *Tunc ille Senatus*
Militiæ ultricis Titulum, Christique verendum
Nomen adoravit, quod tot lucebat in Armis.

Insuper, ex Decreto Senatûs, Colossi, Arcus, & Statuæ, in perennem Victoriæ memoriam, cum magnificentiâ eriguntur; Quas inter, adhuc Romæ visitur Statua Equestris D. Imp. *Constantini M.*, quemadmodùm salutare Christi Signum poni oporteat, suæ Imperiô, nutúque dexteræ Jubentis. In Basi legitur: HOC SALUTARI SIGNO, VERO FORTITUDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS JUGO LIBERAVI, ET S.P.Q.R. IN LIBERTATEM VINDICAVI, PRISTINÆ AMPLITUDINI, ET SPLENDORI RESTITUI.

Quorum verborum similis tenor posteà, Jussu Cæsaris, plures in lapides fuit incisus: quo Orbis agnoscat, Salutem, & Victoriam à *S. Cruce* esse flagitandam. Siquidem, & aliis in Basibus hoc signum ☧ videtur, cum sequentî inscriptione: SALUTARI HOC SIGNO PRINCIPATUS, ET UNIVERSUM IMPERIUM CUSTODITUR.

Quem *Crucis* Triumphum, cùm Arcana Providentia Divina, felicissimis sub Auspiciis, per Imp. *Constantinum M.* jam jam statuisset; & nedum Consilia sua evolvisset, quin Principem ad majora destinatum, & aspirantem, non tantùm per aliorum, sed

sui

ſui ipſius (quantò majorem) etiam Victoriam magìs inclareſcere voluerit? Sic illum nil minùs metuentem, in lepram incidere permiſit multò exitioſiſſimam. Et cùm is ex Medicorum Conſultô alia iterum, atque alia fruſtrà tentaſſet media, factum eſt, ut non dumtaxat ab exitiali hôc morbô corporis: ſed etiam animæ, ſanaretur? Quemadmodùm in Lect. IV. in Feſt. S. Sylveſtri PP. legitur; quam ideò Lectionem hìc adſcribere mora eſt.

„ Sylveſter Romanus, patre Rufinô, à prima
„ ætate operam dedit Cyrino præsbitero; cujus Do-
„ ctrinam, & mores egregiè imitatus, trigeſimum
„ annum agens, Præsbyter Rom. Eccleſiæ à Marcèl-
„ lino PP. creatus. Quo in munere, cùm, omni lau-
„ de Clericis aliis antecelleret, in Melchiadis poſtea
„ locum ſucceſit, Imperante *Conſtantino*; cui Im-
„ peratori, cùm lepræ curandæ causâ, ſibi ex infan-
„ tium ſanguine, Medicorum Conſiliô, Balneum
„ parari juſſiſſet, SS. Apoſtoli, Petrus, & Paulus in
„ quiete apparuerunt, præcipientes ei: ut, ſi ex
„ lepra liberari vellet, omiſsâ impii Balnei imma-
„ nitate, Sylveſtrum in Soracte monte latitantem
„ accerſeret; à quo ſalutari Lavacrô recreatus, in
„ omni ditione Romani Imperii Templa Chriſtiano
„ more ædificari imperaret: ſublatíſque inanium
„ Deorum ſimulacrîs, vero DEO cultum adhiberet.
„ *Conſtantinus* igitur, cœleſtibus monitis obtempe-

 „ rans,

„ rans, Sylveſtrum diligentiſſimè conquiſitum vo-
„ cat; à quo Apoſtolorum Imagines recognoſcens,
„ Baptiſmô ſanatur: &, ad tuendam, propagandám-
„ que Chriſti Religionem inflammatur. Itáque,
„ Auctore Sylveſtro, multas Baſilicas ædificavit;
„ quas ſacris Imaginibus, Donísque, ac Muneribus
„ magnificentiſſimis exornavit; facultate etiam datâ
„ Chriſtianis (quod anteà negatum erat) publicè
„ Templa exſtruendi, &c. Imperator, ad hæc ſancivit Edictô: ut univerſum per Orbem Chriſtianum, almum *Crucis* Signum exaltaretur, ac veneraretur: nec ampliùs, tanquam Infamiæ Nota, reis in ſupplicium adhiberetur.

Sacratiſſ. Imperator poſt animi, corporísque incolumnitatem, illa etiam, quæ die 9. Novembr. in Dedic. Baſilicæ Salvatoris, Lect. 11. Lege præterea
„ ſancivit: Ubi Conſtantinus Imp. per Baptiſmi Sa-
„ cramentum, ſanitatem ſalutémque conſecutus eſt,
„ tunc primùm Lege ab eo latâ conceſſum eſt toto
„ Orbe Terrarum Chriſtianis, ut Eccleſias ædifica-
„ rent, quos ille non ſolùm Edictô, ſed etiam exem-
„ plô ad Sac. ædificationem eſt cohortatus. Nam,
„ & in ſuo Lateranenſi Palatio Eccleſiam Salvatori
„ ædificavit, & ei continentem Baſilicam nomine
„ S. Joannis Baptiſtæ condidit, eô locô, quô ipſe,
„ baptizatus à S. Sylveſtro, à Lepra mundatus eſt;
„ quam idem Pontifex conſecravit quinto Id. No-
„ vem-

„ vembris: cujus consecrationis memoria celebra-
„ tur hodierno die, quo primùm Romæ publicè
„ Ecclesia consecrata est, & Imago Salvatoris in pa-
„ riete depicta, Populo Romano apparuit.

Neque hìc stitit pientissimi Cæsaris pia munificentia, & munifica pietas, quin &, ùt legere est die 18. Novemb. in Dedic. Basilicarum SS. Petri & Pauli Lect. V. & VI. velut in immensum se porrigeret, sibi opere, aliis profutura exemplô. „ Illuc Constan-
„ tinus Magnus Imperator, octavo die post suscep-
„ tum Baptismum venit, depositóque Diademate, &
„ humi jacens, vim lachrymarum profudit: mox
„ sumpto ligone, ac bidente, terram eruit: indéque
„ duodecim terræ cophinis, honoris causâ duode-
„ cim Apostolorum, ablatis, ac locô Basilicæ Princi-
„ pis Apostolorum designatô, Ecclesiam ædificavit,
„ quam S. Sylvester Papa decimo quarto Calendas
„ Decembris, eô modô, quo Lateranensem Eccle-
„ siam quinto Idus Novembris consecraverat, dedi-
„ cavit: & in ea Altare Lapideum Chrismate deli-
„ butum erexit: atque ex eo tempore sancivit, ne
„ deinceps Altaria nisi ex Lapide fierent. Eandem
„ Basilicam vetustate jam pridem collabentem, ac
„ propterea multorum Pontificum pietate latiùs, ac
„ munificentiùs à fundamentis erectam, Urbanus
„ octavus, eadem die recurrente Anni millesimi sex-
„ centesimi vigesimi sexti, solemni ritu consecravit.

„ Idem beatus Sylvester Basilicam S. Pauli Apostoli
„ via Ostiensi ab eodem Constantino Imp. magnificentissimè ædificatam dedicavit. Quas Basilicas
„ Imperator multis prædiis attributis locupletavit,
„ ac muneribus amplissimis exornavit. Cujus Imperatoris tantus fuit ardor Religionis, ut deletîs
„ Idolorum Templîs, multas ubique Terrarum extruxerit Ecclesias, & præcipuè Romæ: in quibus
„ fuerunt Basilica S. Crucis ad Jerusalem in agro Sessoriano, S. Laurentii extra muros in agro Verano,
„ SS. Petri & Marcellini viâ Lavicanâ, aliæque permultæ.

Itaque piissimus Imperator, quæ DEUS Optim. Maxim. illi tam luculentis beneficiis ostenderat, Magnalia, gratô, humilísque animô colens, *Crucem* Dom. nostri non solùm ubique honorari, sed &, in Signum Honoris Maximum, quo, & sibi Decori, & aliis incitamento foret, induere, & gestare statuit: vexilláque sua omnia *Cruce* insigniri, atque hoc solum, & unicum militare signum esse jussit.

Et ubi jam Cæsar ipse pectus sanctioribus institutîs imbutum, *Aurea Cruce* condecoravisset, Togatos, Sagatósque Viros Principes, de Republ. benemeritos, eadem *Cruce*, Ritu publico & solemni, è solio donavit: ac, singulari quâdam Prærogativâ, quinquaginta ex primis, & primariis elegit, quos Labaro Cæsareo præficeret; quo etiam effectum est, ut

Res



CONSTANTINVS MAX: IMPERATOR POSTQVAM MVNDATVS À LEPRA PER MEDIVM BAPTISMATIS, MILITES, SIVE EQVITES DEAVRATOS CREAT IN TVTELLAM CHRISTIANI NOMINIS.

Res Christiana deinceps consiliis, & Armis, & aucta, & defensa fuerit. Hujus Ritûs, ut olim viguit, Typus mox exhibetur.

Quæ solemnia, quemadmodùm peracta sunt, vides. Imp. *Constantinus M.* Basilicô hôc ornatu, ritúque, Equites Ordinis sui, Sacris, Donis, & Insignibus exornavit; ut palàm Decori essent, & Venerationi: & tantò quidem majori, quantò majora Virtutum specimina edidissent, ac Instituto suo sese exhibuissent digniores. In perpetuam hujus Sac. Ritûs Memoriam, Romæ Tabella, quam vides, marmorea servatur, in qna D. Imp. *Constantini M.* è Throno Equitibus *Crucem* largientis Iconem conspicis, cum inscriptione:

CONSTANTINUS MAXIMUS IMPERATOR, POSTQUAM MUNDATUS à LEPRA PER MEDIUM BAPTISMATIS, MILITES, SIVE EQUITES DEAURATOS CREAT, IN TUTELAM CHRISTIANI NOMINIS.

De felicissimis, & admirandis Sac. Ordinis Constantiniani Auspiciis, jam aliqua delibavimus; de Equitibus etiam, ac rebus per eosdem gestis nonnihil videamus. D. Imp. *Constantinus M.* An. Christi supra trecentesimum decimô septimô, Imperii duodecimô, par animo periculum subit. Licinium, qui turpiter à Signis Christianis defecerat, ulturus, armatos *S. Crucis* signô milites in apertam hostium faciem,

 &

& aciem ducit: &, rata radicatáque in DEUM tot favoribus in fortunas ſuas auſpicem, fide, ſuos bene ſperare jubet; nec Eventus ſpem fefellit. Cùm enim Imperator, quod ſolebat, ante pugnam, Divinum implorarct auxilium; En! iterùm *Crucem*, quam pari in certamine cum Maxentio viderat, eosdem inter fulgores intuetur: &, ne de Victoriâ forſan ambigat, hanc quoque vocem audit: *Conſtantine, in Hôc eôdem Signô tuos ſemper Vinces Hoſtes!*

Quô novô Oraculô animoſior magnanimus Imperator, Exercitum Licinii quantumvis validum, ſecundô ſucceſſu delet. Submiſſis etiam, ùt alii ſcribunt, in ſuppetias cœleſtibus geniis. Hoc in conflictu, & illud peculiare fuit, Conſtantinianos Equites à Venenatis Barbarorum ſagittis nihil eſſe læſos; ut ſæcula diſcant, nec improbitati ſupplicium deeſſe: nec ſolatium afflictæ virtuti.

Triumphabundum proinde Sac. Labarum Conſtantinianum, *S. Crucis* Signô inſignitum, quod quinquaginta Præfecti alternîs vicibûs geſtabant, in Trophæum eſt erectum, ut ſemper & ubique triumphale Chriſti Nomen affulgeret.

Alteram Imp. *Conſtantini M.* pari felicitate partam in *Cruce* Victoriam, ſequitur hæc tertia: Cùm Maximus, idémque feliciſſimus Imperator, ſolum, & Solium à Nominis ſui appellatione celebratiſſimum inſumere meditatur; potentiores nonnulli, qui

qui Urbem Augustam occupaverant, legitimum Principem ab aditu, fascibus, Jure, prohibere conantur; Invictissimus Cæsar consuetis igitur armîs papaverum capita demetenda, ac perfidos, factiosósque, ne malum latiùs serpat, in flagranti restinguendos existimat.

Sed, antequam vindicanti litaret Justitiæ, Divinam implorat opem; quam etiam in perniciosissimam inimicorum perniciem præsentissimam sensit. Quid fit? en! iterùm atque iterùm pientissimus Imperator *Crucem* præfulgidô radiorum Nimbô coruscantem contemplatur, & simul has tertiùm Voces excipit: *Hôc ipso Signo hostes omnes Vinces!*

Quem hæc tuba non excitat, non dormit; sed mortuus est. Adeóque hôc classicô excitatus, iterùm fortissimus Heros, Regiô Christi vexillô prodit in Hostem; quem pariter funditùs fundit, & inauditô anteactis sæculis Triumphô, Signum *S. Crucis* perpetuum statuit Trophæum, Triumphator perpetuus. Heroica Imp. *Constantini M.* Virtus Hæredes suos habuit. Exempla quàmplurima, si vacaret, ex veterum, recentiúmque monumentis, adferre possemus; Nonnulla tamen haud abs re adferenda judicavimus.

Cùm sub Cæsare Flavio Constante, Constantiniani Equites ad demoliendum Antiochiæ Serapidis Fanum educerentur, & illis, sub Solis ortum *Crux* apparuit; quæ, velut ignea columna, novos hos Israëlitas

litas mirùm quantùm illuminavit, accendítque, ut Serapidis Idolum cum cultoribus ſuis, totum propè Orientem depopulantibus dejecerint, & ejecerint: multa Paganorum ſimulacra, lares, Templa, & Hebræorum Synagogas in brachio Excelſi deſtruxerint: ac Chriſti Nomen coram gentibus portaverint. Quo DEI ter O. M. beneficiô Provinciæ à Ponte Euxino usque ad Ægyptum ab Idololatriâ: & gentes in libertatem Filiorum DEI ſunt vindicatæ.

Non impari Marte Equites Conſtantiniani, ſub Imperatore Heraclio, decertaverunt; Cùm enim hic Princeps *S. Crucis* Signô, Signa militaria, Pectus, & Arma inſigniviſſet, copias ſuas adverſus Gentes, quæ in Paleſtina, & Perſiâ falsìs Dogmatibûs graſſabantur, armavit; quas, unà cum ſacris, ferro, & igne perſecutus, feliciter internecioni dedit; aſſignatô *Cruci* Triumphô. In ſylvam aſſurgerent hæc folia, ſi omnes Conſtantinianorum Equitum Lauros, & Palmas, quas in Oriente obtinuerunt, adferre, aut aliorum Scrinia compilare conſilium foret.

Non ſtitit in Oriente Conſtantiniana Fortitudo, quin & in Occidentem ſe porrigeret, & utriúsque Solis Regiam luſtraret.

Sub primum in Hiſpaniis Gothorum Dominatum, diuturna Peſtis Ariana eum in modum graſſabatur, ut jam Res Chriſtiana, niſi DEUS opitularetur, in ultimum periculum incidiſſet; Nec Ortho-

doxi

doxi Hiſpanienſes aliud adverſus Arianos Præſidium habebant, quàm Sacrum Labarum Conſtantinianum: & quamvis Ordinis Inſigniîs non eſſent initiati, illius tamen Tutelæ devoti, ut ab Heterodoxis dignoſcerentur, frontem, pectus, arma, Domos hôc Signô Α ☧ ω coobarmârunt.

Sub Decumanâ demùm irruptione Saracenorum, infandam Chriſtiani cladem perpeſſi, in quâ & complures trucidati Equites Conſtantiniani, qui tamen, Iberiæ, extremîs jàm viribûs, decertanti, adverſus hæc renaſcentia ſemper antiqui ſerpentis germina, omnimodam, quam potuerânt, opem, & operam tulerunt; donec reliqua quantacunque manus, Ductu Ducis Cantabriæ, D. Pellagii, Sanguinis Regii Principis, Magnæ *Crucis*, magni, magnanimìque Equitis, in Montem Aſſuevæ ſe abdiderit, obſtinatô ad moriendum, aut vincendum animô! cùm intereà Pelagius, pietate inſignis, & armis, ſolicitis Cœlum precibus fatigat; demiſſum ex Aſtris Vexillum, Signô Conſtantinianæ *Crucis* iuſignitum conſpicit, & inſuper auſpicatum hoc audit Oraculum: *In Hoc Signo Vinces!* Quo acceptô Victoriæ Cœleſti Pignore, hic Hiſpaniarum Conſtantinus, cum lectô, collectòque, non oppidò forti manipulô, in immanem Saracenorum Nimbum, qui Heſperias Aureorum Pomorum Arbores è radicibus evellere, & avellere tentabat, fortiter audet: & totô quaſi Cœlô fulminante, fer-

ream hanc tempeſtatem ſedat ; & utramque Solis plagam ſerenat, terrà, Maríque pacatîs, & placatîs.

Bellô námque Annos unô de viginti continuô, innumerus Saracenorum numerus interiit: & Chriſtianorum tantò ampliùs, quantò illorum minutus, deinde fuit adauctus. Hinc Pelagius, Pius, Felix, ob tam inſignes Victorias, ſub *Crucis* vexillô partas, quod quatuor Regna Hiſpaniarum Coronæ reſtituiſſet, *Reſtaurator Hiſpaniæ*, publicâ, gratáque Populi voce adclamatus eſt.

Juſſione Pelagii, Victorias ſuas almæ *Cruci* referentis, hæc Signa: A ☧ ω in ejus ſepulchro notata ſunt; quemadmodum in Baſilica B. M. V. ut appellant, Cavadongæ, ubi Corpus ejus Coronam expectat Juſtitiæ, abhuc videre eſt.

Aragoniæ Regnum ſub Rege Petro, quóque excelſam Conſtantinianorum Equitum Virtutem fuit expertum; Cùm ipſe Rex Auſpiciô, Ductúque Ducum, Equitum, Militum S. Georgii, effrænatam Barbarorum multitudinem ex Urbe, quam vocant, Hueſcâ, expulit: ac receptîs aliquibûs ad ipſum hoc Regnum ſpectantibûs oppidîs, tam Religionis, quàm Regionis fines ampliavit.

Alphonſus Rex Caſtiliæ, quem Virtus *Bonum* dixit, vagabundos per Hiſpaniam Saracenos, qui novâ irruptione Catholicum Regnum invaſtant, juſtîs etiam armîs ulciſci ſtatuit; antequam autem ad aper-

apertum cum Barbaris immanî numerô ingruentibus certamen deventum esset, Alphonsus Bonus, multîs DEO precibûs supplex, in Astris radiatum *Crucis* Signum, quemadmodùm non unîs jam vicibûs apparuerat, videt, & Divina hâc facie, ceu face, collustratus, cum Equitibus, hos tenebrarum filios aggreditur, eosdémque fulminantis Dexteræ Jaculîs prosternit: &, sicut Scriptores memorant, ex trucidatis amplius ducentîs nigricantium Barbarorum millibûs, ac ferè totidem captîs, Triumphum agit formosissimum; quem lætis cannis felix Hispania canat, & æternûm celebret. Hic ille ipse Victor, Alphonsus An. Domini 1190. Magnæ Congregationi, quæ habita est Constantinopoli, tanquàm Auratæ hujus Sac. Militiæ Constantinianæ Eques Torquatus interfuit.

Constantinianus hic Equester Ordo non tantúm Orienti, & Occidenti Triumphum *Crucis* invexit, sed sui etiam memoriam in animatis, inanimatísque corporibus perennare voluit; Siquidem D. Imp. *Constantinus M.* Romæ moles amplissimas, & Basilicas: utpote Constantinianam, S. Joannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, S. Pauli in Viâ Ostiensi, *S. Crucis* Hierosolymitanæ, S. Agnetis, SS. Marcelli, & Petri, SS. Petri, & Pauli, & alias, ad gloriam Cultúmque DEI veri, vivi, Ecclesias ædificavit.

Eâdem pietate sacer hic Ordo præter excitatas quoque in Hispaniâ Basilicas: S. Jacobi in Gallitiâ,

B. M.V., S. Petri, & S. Joannis Madriti, & plerásque in utráque Siciliâ, aliísque Regnis; ſex Archiepiſcopatus, & ſexaginta ſeptem Epiſcopatus fundavit, in Saracenorum excidium: Rei Chriſtianæ præſidium: *Crucis* Trophæum.

Ad rerum geſtarum memoriàm facit, quod eâdem Tempeſtate, quâ Equitibus S. GEORGII cum Barbaris in Hiſpaniâ decertantibus, Signum *S. Crucis* in cœlis apparuit; & in Germaniâ, Imperante Rudolpho, Conſtantiniani Ordinis Equitibus, adversùs factioſos diù multúmque dimicantibus, S. GEORGIUS Eques in albis cum rubeâ *Cruce* comparuerit, illos ad inſignem ex deficientibus ab Eccleſiâ, & Imperiô turbis Victoriam, tàm feliciter, quàm mirabiliter animâſſe legatur.

Et alter *Conſtantinus* affultit. *Carolus* quippe Magnus ille eſt; Qui cùm aliàs inter expeditiones Urbem Gironam milite coronâſſet: & anceps, an Victoriâ potiretur, hæſitaret, conſiliô fruſtra aliunde quæſitô, confugit ad Dominum; qui propitiâ ſupplicem aure dignatus, iterùm *S. Crucis* Signum, in luculentum Victoriæ Pignus oſtendit. Quô Salutari viſô, *Carolus* M. & animam, & corpus *S. Cruce* obſignans, quos habet Equites prodire jubet; Urbem capere: Victoriam parare. Quâ deinde partâ, Triumphator, adſertæ in libertatem Urbi, rubeam *Crucem*, in perpetua Civitatis Inſignia donavit.

Aſt

Aſt poſtquam tam variis prodigiis *Crux* Orbi propemodùm univerſo cæpit illuceſcere; Chriſtianorum Fides, quæ, ſicut ſalamandra in igne, ſemper ipſa inter arma illæſa, victrixque aliàs ſteterat, nonnihil venenô, (quô dicam fatô?) imbui videbatur: & Roma ipſa haud ſatis jàm integra à ſerpente quaquaverſum Hæreſeos Contagiô periclitabatur; Cùm CLEMENS III. Conſtantinianum Ordinem multîs jàm ſucceſſibûs celebrem vocat: ut naſcenti malo obviam veniat, átque hanc Hydram, ne agrum Domini depopuletur, in herbâ elidat. Hôc itaque ductu, imperióque, Conſtantiniani Equites ſolitum robur, ac vires, Hoſti DEI publico objectaverunt: &, ingentèm Gloriæ ſegetem nacti, non indecoris iterùm *S. Crucis* Vexillum Trophæis adornaverunt; defenſatâ, cum Ordine, Republicâ Chriſtianâ.

Quemadmodùm in magno Concilio Nicæno, quod, ſedente S. Sylveſtro PP. D. Imp. *Conſtantino* coram: & accitîs trecentîs, & octodecim Epiſcopîs, aliîſque præſignibûs Viris habitum, Arius, cum Dogmaticis ſuis, fulminatus eſt: Doctrina Chriſtiana explanata: inculpatus vitæ tenor reſtitutus: & omnia in tutelam boni publici præſidia ſunt collata; ſic pariter Conſtantinianus Ordo, Fundatoris ſui inſtitutis obſecutus, quâcúnque ſæculorum tempeſtate, Virtutem ſuam exercuit; & terrarum ſcelera, armîs ulciſcens, non fortunâ, quàm Virtute, non gladiô, quàm

Cruce felicior, Chriſtianum Nomen defenſum dedit. Quam immortalem heroicæ felicitatis Gloriam ubi per Orbem, quà noſcitur, univerſum extendiſſet Angelicus Auratus Conſtantinianus Heraclianus Ordo; nec aſtris eandem terminare potuit : Quin ejus Sanctitas, quæ terras jàm Cœlo devinxerat, ac devicerat, ſuper Sidera tranſcenderet, & raucatonitrua calcaret. Siquidem Eccleſia DEI cœleſtes inter Indigetes, non paucos Sac. Ordinis hujus Equites veneratur: & imprimis SS. Demitrium, Procopium, Hypolitum, Mercurium, Martinum, Theodorum, Vitalem, Mennam, & Geminianum, aliósque quàm plurimos Martyres, qui olim in Expugnatione Urbis Sanctæ, pro Religione, Fide, Patriâ occubuerunt, & Stolas ſuas in Sanguine Agni dealbaverunt. Hâc ipsâ in obſidione Hieroſolymæ celebratiſſimâ, præ cæteris Equitibus Conſtantinianis, tanquàm Sidera majora, affulſerunt illi quinquaginta Præfecti; quos D. Imp. *Conſtantinus M.* pro tutando, geſtandóque Labaro conſecraverat; de quibûs Italorum Homerus, Torquatus Taſſus, celebri ſuo in Poëmatio:

Son cinquanta Guerier, che in puro argento
Spiegan la Triomfal purpurea Croce.
Sunt quinquaginta Heröës, qui Signa Triumphi
Purpureæ Crucis *Argentô puriſſima vibrant.*

Non ità pridem priſca Sac. Conſtantiniani Ordinis Dignitas, quæ prima illuxit tamen, è longinquâ tem-

temporum caligine in apricum prolata, ad noſtram, & Poſterorum memoriam Sereniſſ. *Joannes III.* Poloniarum Rex potentiſſimus, cùm An. 1683. Urbem Uiennam, quæ eſt in Auſtriâ, ab Ottomannorum obſidione, propriâ manu vindicâſſet feliciter, hanc Victoriam, in qua juratus *S.Crucis* Hoſtis triumphatus, etiam *Cruci* referre viſus eſt; ſiquidem Annô, qui ſequebatur altero, XI. Menſ. Maji famigeratiſſimum hunc Ordinem, Diplomate Regiô, in Regnum ſuum adoptare decreverat; quod autem pientiſſ. Regis Conſilium, & bella retardarunt, & mors, ut præclara multa alia, interrupit.

Hanc eandem vetuſti Ordinis Dignitatem, potiſſimi, potentiſſimique Principes Chriſtiani, cordi, & curæ habuerunt: & Sac. hanc Auratam Militiam profiteri, ac tueri dignati ſunt. Divus Fridericus III. Rom. Imperator ſemper Auguſtus, ejúsque Sereniſſ. Filius Henricus; Philippus II. Galliar. Rex Chriſtianiſſimus; Richardus Rex Britanniæ; Guilielmus Rex Siciliæ; Balthaſar Miſſiæ Rex; Caſimirus Rex Poloniæ; Alphonſus II. Rex Aragoniæ; Sanctius Rex Navarræ; Alphonſus IX. Rex Caſtiliæ, cum Emmanuele Infante; Otto Dux Burgundiæ; Tancredus Viſcardus; Thomas Com. Olobroghius; Opizo Marchio Eſtenſ. Heraclius Cantacuzenus; Michaël Sebaſtes; Joann. Fridericus Gonzaga; Albertus Com. Habſpurgicus; Philippus Com. Flandriæ; Michäel Com.

Com. Cataplaſtes ; Guido Turrianus Vicarius Ravennæ ; Sexcentíque Heroës alii tàm Illuſtre decus affectaverunt, honoraverunt, obſecundaverunt. Ob eandem Equeſtris gloriæ celebritatem, ſecutîs deinde temporibûs, utriúsque ſolis Purpurâ paludatus Imperator, *Carolus V.* qui omnibus Elementis Chriſtianum Nomen impreſſit, Sac. Ordini Conſtantiniano Protectorem ſe dedit: & ejusdem Ordin. magnô Torque Aureô, ac Labarô, *Joannem Auſtriæ*, non indignum hôc Nomine Heroem donavit; dùm, An. 1571. adverſus biſſidum Byzantii Monſtrum, vacuâ regnantem in arenâ Baſiliſcum, claſſe bellicâ pararet. Nec impar tanto Duci, & Auſpici tanto, pugna fuit; Nam virtus, & Fortitudo Sereniſſ. Equitis initiati, Claſſem ipſius indemnem præſtitit : inimicorum verò profligatiſſimam. Quandoquidem ampliùs quadringentæ Naves, præter eas, quæ captæ ſunt, partim diſperſæ, partim in Profundum demerſæ : & plus, quàm triginta Barbarorum millia navalî hoc conflictu deleta ſunt: átque Civitas DEI, ligneîs murîs, ut olim adverſus Xerſem Græcia, feliciſſimè defenſa eſt.

Et quamquam inveſtigabili Conſilio DEI, Mahumetanorum impacata, & implacata Tyrannis, in tantùm invaluerit, ut Orientis Imperium, nefandô faſtu ſubegerit ; nunquam tamen eò res devenit, ut Sac. Conſtantinianus Auratæ Militiæ Ordo Equeſter tot

tot Prodigiis fundatus, adſertus, ſervatus, fatorum injuriâ, totus aboliretur: aut immortalis ejus Honor, obortas inter tenebras extingueretur, nullumque exſpirantis Gloriæ veſtigium relinqueret.

In indelebilem hanc, & à vetuſtate ſuâ fulgentem, Aureæ Militiæ Claritatem, An. 1623. Sac. Curia Romana, quàm potuit, diligentiſſimè inquiri fecit; nùm adhùc aliqua ejusdem Signa, etiam in Oriente exſtarent? & Dominicus Hieroſolymitanus, Vir Sanctè eruditus, teſtatus eſt: non tantùm Conſtantinopoli, verùm, & Damaſci, aliísque in locis, diverſas hujus Ordin. Domos Hoſpitales, Ædes, Sedes, Templa, aliáque Sacraria exſtare; in quarum frontibus Imago S. Eq. GEORGII conſpiceretur. Hic idem Vir, fide integerrimâ perſcripſit, in Bibliothecâ Conſtantinopolitanâ, inter alia, quóque magnâ in æſtimatione haberi librum, in quô Heroicæ Effigies Equitum, ab Imp. *Conſtantino M.* creatorum, quorum pectora *Cruce* gemmeâ condecorabantur; inſigniorî Artis penicillô depictæ adſervarentur, patentibûs variîs hinc inde Signîs, & Inſignibûs Conſtantinianîs. DEO Cuſtodi, Vindici, Servatori igitur grates, quòd præſidem *Crucis* Ordinem, in Honoris ſui Præſidium fortiter aſſeruerit: Conſtanter tueatur: Jugiter exornet.

In illâ Congregatione, quæ An. 1190. in Urbe Conſtantinopolitanâ eſt celebrata à compluribus Legatis, Oratoribus, Provinciarum, & Urbium Præ-

fectis, átque quadringentis triginta quatuor Auratæ Militiæ Equitibus S. GEORGII, qui tàm ex Europâ, quàm Asiâ, fuerant convocati, constat: & Sac. hunc Ordinem, ejúsque Regulam, Ritum, Normam, Leges, fuisse confirmata, & Romanor. PP. Archiviis inserta; hôc quidem Decretô: ut Excelsi hujus Consilii constans, & perpetua Decretorum Memoria, cum publicô Ordinis rati; confirmatíque Testimoniô, & scriptîs, & Typîs vulgaretur.

Quem insuper in finem, ut solemnioribûs ejusmodi in actîs fieri assolet, Numismata fuêre cusa, in quibus ex altera parte, ISAACII IMP. tanquàm M. MAGISTRI (qui & ejusdem Magnæ Congregationis Præses fuerat) Effigies, & *Crux* Constantiniana, cum solitîs hîs Characteribûs Α ☧ ω affulgebat, hâc redditâ inscriptione: D. N. ISAACIUS. ANG. P. F. AUG.) alterâ ex parte, Angelus dexterâ *Crucem*: sinistrâ Palmam gestans conspiciebatur, cum inscript. VICTORIA AUGUSTI. Quô pariter, ex suffragante Nummorum Testimoniô, D. IMP. CONSTANTINI M. Series, ultimîs etiam temporibûs, & nostrîs adhùc probaretur. De quibus Numismatibus, ut, & de aliis Sac. Ordinis Constantiniani, privatîs, publicísque monumentîs, chartîs, scripturîs, tabellîs, reliquos inter, Onuphrius Panvinius non ignobilis rerum antiquarum scriptor, in librô, quem

de

de migratione Gentium inſcripſit, poſteritatem luculenter edocuit.

Cùm infiniti propemodùm ſcriptores, qui res D. Imp. CONSTANTINI M. & utriúsque tàm Orientis, quàm Occidentis Imperii, illorúmque facta, fata, ſortes, fortunas, ex inſtitutô, & induſtriâ pertractaverunt, hôc etiam de Ordine quàm ampliſſimè retulerint; hanc ſolùm *Anacephalæoſin Diplomaticam*, in aliquam ſaltem notitiam perferrendam eſſe judicavimus.

CAPUT II.

DE GRADIBUS ORDINIS.

ANgelicus, Conſtantinianus, Heraclianus, Primus, Equeſter, Auratæ Militiæ Ordo, Equitum S.GEORGII; An. *Crucis* ſacratæ CCCXII. inſtitutus eſſe traditur; Quô tempore in flagrantiſſimâ adhuc memoriâ, S. GEORGII, Nob. Capadocis, Imperii Exercituum ſupremi Ducis, Martyrium vigebat; utpotè qui An. CCCV. d. XXIV. April, ſub Impp. Diocletianô, & Maximinianô, acerrimîs Chriſtianorum perſecutoribûs, pro Fide, bonum certamen certaverat: & Græciæ, in quâ hic Sac. Ordo fundamenta jecit, Deprecator, Patronus, & Defenſor habebatur.

Quô publicô S.GEORGII cultû provocati Equites Conſtantiniani, hujus ejusdem Sancti Patrocinium, ac Tutelam, ſub quâ deinceps, & vincerent, & morerentur, ſolenniter elegerunt, ac ſeſe *Equites* S. GEORGII, Statô Axiomate nominaverunt; ſimúlque S. Baſilii M. Primi in Græciâ Chriſtianâ Legislatoris, Regulam amplexi ſunt; cujus etiam Sac. Ordinis Aſcetici Inſtitutionibûs, Equites Conſtantiniani vivunt, Indultîs gaudent, Gratiîs fruuntur.

Officia inter alia, Sac. hic Ordo, Feſta, Inventionis, & Exaltationis *S. Crucis*; Nativitatis & Aſſumptio-

tionis B. M. V. ac S. GEORGII: nec non Dedicationis S. Michäelis Archangeli, & S. Francifci Seraphici, præcipuâ celebritate obfervat.

Nomen, & omen, quòd attinet, vocantur hi Equites, *Angelici*, *Conftantiniani*, *auratæ Militiæ S. GEORGII*; vocantur *Angelici*, ab Angelo, qui D. Imp. *Conftantino M.* toties apparuit; Victoriarum Nuncius; vocantur *Conftantiniani*, ab Inftitutoris Appellatione; vocantur *Auratæ Militiæ*, ob Torquem aureum cum *Cruce*, aureum calcar, gladium, Zonam, & alia Ordinis Infignia, Virtuti, meritísque donata; vocantur S. GEORGII, ab ejus Aufpiciis, Patrociniô, ac Tutelâ. Eam ob Caufam in Gentilitiis Sereniff. *Familiæ Angelæ*, *Flaviæ Comnenæ*, *Lafcaris*, *Palæologæ*, Titulis, & Infignibus, Angelicum Nomen hoc manfit, & Angelus, qui palmam manu geftans, relatas in Signo *S. Crucis* Victorias, & Triumphos infignes defignans, Conftantinianam confecrat Memoriam.

Poft Ordinis Inftitutum, Tutelam, ac Nuncupationem mox expofitam, gradus quóque ejus, ceu claffes, & ordines difpiciamus.

Supremus Magnus Magifter, de quô, in cap. quod fequitur, agemus; Jure Natalium, utpotè Caput, primum locum obtinet.

Et primum à fupremô Ordinis Magiftrô Gradum, Equites Magnæ *Crucis*, quos *Torquatos* appellant, occu-

occupant. Sunt quinquaginta; juxta Numerum illorum Equitum Torquatorum; quos D. Imp. *Constantinus M.* cùm Maxentium justîs ulcisceretur armîs, ad custodiam, Præfecturámque Labari destinaverat. Hi L. Viri, Dignitate reliquos antecellunt; Nam Imperatores, qui deinde sunt secuti, Prætorianîs suîs posthabitîs, Custodiam Personæ Augustæ, his Labari Præfectis, Torquatis Magnæ *Crucis* Equitibus, commiserunt. Quin, & pro Majori Ordinis decore, in Codice Theodosiano veterî, Tit. de Præpositis Labaror. liquet: Quod Impp. *Honorius, & Theodosius,* his Equitibus Torquatis, Consularem Dignitatem contulerint, hâc formâ diplomaticâ: *Clarissimi sint inter Electos; ità, ut ex Consularibus habeantur; nam & Senatoriô nomine, & immunitate digni sunt, quos nostri lateris comitatus illustrat.* Qui Honos, & mos in Ordine Constantinianô permansit: ut supremum Senatum, ex L. Senatoribus instituerint, argumentô non obscurô: ad hanc amplissimam Equitum Torquatorum Dignitatem, neminem pervenire: nisi quem Sanguinis excelsa claritas, ac Virtutum merita commendant.

Post animi Decora, etiam Corporis ornamenta spectanda sunt; ut, & interna, & externa Torquatorum Magnæ *Crucis* Equitum Insignia, mutuô splendore illucescant. Hi enim Equestrî hâc Honorificentiâ cæteros præcellentes, quoties in publicô comparue-


paruerint, Aureô Torque illô, quem ſupr. M. Magiſter habet, (minore tamen, minúsque pretiosô) condecorantur. Pallium ex ſericô (Damaſcum vocant) glauci coloris : intrinſecùs candidô Bombyſinô ſubtectum, & úsque ad talos protenſum induunt: brevius tamen illô, quô ſupr. M. Magiſter utitur: illúdque geminîs funiculîs, per quos ſuave Jugum legis deſignari memorant, è ſericô cæruleô, & candidô, terminatîs paribûs floccîs, collo adligatur, & quidem oblongîs, lævóque lateri ſubnexîs; ſupra Pallium, in armô ſiniſtrô, *Crux* rubea, holoſerica, aurea rutilat. Thorax, & ſubligare ſunt pariter è ſericô cœruleô; breve ſagum: caligæ ex ſerico albi coloris: calcei pariter albi, cianeîs funiculîs ſericîs, aut etiam fibulîs argenteîs obſtringuntur. Galerum purpurei coloris, albô ſericô ſubtectum, ommiſsîs tamen quatuor Alîs in Coronam erectîs: & locò plumarum Ardeæ albæ, cæruleîs cum plumîs, & inſertô etiam vener. D. N. Momogrammate geſtant. In pectore, Magna *Crux* Sagô affixa fulget. Torques, quem ſupr. M. Magiſter, & Torquati Magnæ *Crucis* Equites geſtant, ſpectatâ tamen utrinque diſparitate, mox ſequenti Schemate exhibetur.

Crux


TORQUES AUREUS
MAGNI MAGISTRI
ORDINIS
ANGELICI CONSTANTINIANI

Crux verò, quâ Constantiniani Equites exornantur, duplex est: una ex sericô villosô, quæ armo sinistro adponitur: altera ex aurô, quâ pectus condecoratur: utráque purpureô emicat colore; in signum, ac testimonium: hos Equites Constantinianos, pro Fide Christianâ, ad sanguinem semper decertavisse, sempérque decertaturos esse. Utráque *Crux*, aurô circumdata, Charitatis, quam Equites exerceant, sincerum est symbolum. Quatuor Characteres aurei, I.H.S.V. singulis *Crucis* terminis, velut totidem liliîs cuspidatîs inserti, Divinum illud Oraculum: IN HOC SIGNO VINCES, quô D. Imp. *Constantino M.* Victoria de Maxentio nunciabatur, in memoriam revocant. Signatam in campô rubeô *Crucem*, duo aurea Hastilia, quibûs Græc. X. P. intermediô efformatur, intersecant. Quô Monogrammate Christi, D. N. SS. Nomen exprimitur. Monogrammati Græcar. Literarum prora, ac puppis, A. & ω. utrínque adiicitur, ut pariter indicetur, DEUM, quemadmodùm ab Aquila Apocalyptica vocatur, esse *Principium*, & *Finem*, à quô: & ad quem, omnia. Ab ipsa *Cruce*, quam Equites gestant, pendet Effigies S. GEORGII Eq. Draconem hastâ interficientis; quam hîc retrò vides.

 Gradum



Gradum Ordinis alterum occupant Equites Juſtitiæ; qui eâdem, cum Torquatîs, probatæ Nobilitatis ſerie clari, excelſum hoc decus obtinent. Hi Equites Juſtitiæ, ſolemnibûs in Officiis, iîsdem, quibûs Equites Torquati, ornamentîs utuntur; exceptô tamen magnô Torque Aureô: & Effigie S. GEORGII Eq. quam ante delineavimus, *Cruci* appensâ: niſi Effigies hæc illis ex peculiari forſan ratione concedatur. Quam *Crucem* hìc habes.

Hunc



Hunc Equitum Justitiæ Gradum etiam Ecclesiastici, quos Nobilitas,& Virtus, aut Gratia ad capescendam hanc Dignitatem non inidoneos reddunt, obtinent. Ecclesiasticorum itáque illorum *Crux* eadem est, quam modò adduximus : Vestitus autem, quô solemnibûs in Ministeriis induuntur, est consuetum Capitis Sacerdotale tegumen ; nisi fortè inter Torquatos numerentur ; qui, Biretum, ut vocant, sericum Cæruleum, aureô Christi, D. N. Monogrammate decoratum, gestant. Pallium ejusdem modi, quod Equites Justitiæ, & Equites Ecclesiastici adhibent.

Hos ſequuntur Equites Sacellarii, quos Capellanos appellant; illi in publicis Ritibûs Biretô ſericô, cæruleô, & aureô Chriſti D. N. Monogrammate condecoratô, átque Veſte talarî: & ſuper hanc aliâ breviore, ſericîs undíquè laciniîs ornatâ, cum manicîs oblongîs, utuntur. In lævâ parte Veſtis ſuperioris, verſus humerum, Rubeam Ordinis *Crucem* holoſericam gerunt. Sed, extra ſolemnes actus, Auream *Crucem*, è collô pendulam, portant: & laneam aliam pallio adſutam, laneô funiculô flavô circumdatam: vel, conceſſione Magni Magiſtri, ſericam rubeam, aurô involutam; niſi probatæ Nobilitatis ſuffragiô, ad Equitum Nobilium Jura vocentur.

Equitibus Juſtitiæ adſcribuntur Equites Gratiæ, ſeu Donati; à quibus non quidem Generis: ſed Virtutis Claritas, & inculpatus vitæ, morúmque tenor exigitur. Hi Equites honorarii, quorum Vitæ cultus hanc gratiam à Magnô Magiſtrô impetrat, ad quamcúmque porrò Inclyti Ordinis Dignitatem evehi poſſunt, ſi Nobilitatem Sanguinis, Virtutum merita ſuppleant. Auream omnes aliàs *Crucem* è collô pendulam geſtant, cum adlatis peculiaribûs ornamentîs; verùm ad diſcrimen Equitum Torquatorum, & Juſtitiæ, Donati, eam *Crucem*, ſed ábsque effigie S. GEORGII Eq. & ex pectore pendentem gerunt; niſi forſan in Expeditionibûs publicîs Equeſtribûs, ſeu militaribûs, & aliis *Crux* major indulgeatur. In Pal-

Palliô ad lævam ferunt *Crucem* holofericam, fed paulò minorem. Si autem folemnioribus interfunt Officiis, cæruleô quóque Galerô fericô, albicantibûs criftîs ornatô, cum holofericô, non Aureô Chrifti D. N. Monogrammate, cooperiuntur. Pallium habent Cæruleum ex fericô undulatum, ejusdem cum Equitibus Juftitiæ longitudinis; cum indumentô fericô albô planiore.

Gradum tertium faciunt, Milites, Clientes, Servientes; quorum primi, dicti Scutiferi, qui bello inferviunt. Secundi alia Ordinis obeunt officia: &, ipsîs inferiores Scutiferîs, enfem, calcaria, & reliqua Infignia militaria non geftant: néque inter eminentioris gradûs Equites numerantur; etiamfi membra fint Ordinis, ac *Cruce* donati. Solemnem quidem Habitum non habent, nifi quòd, publicîs in Officiîs, militari fuper Vefte induantur fericâ fafciâ cæruleâ, five Balteô, qui dexterô ab Humerô protenfus, in finiftrô latere convolvitur; cui fafciæ, in pectore, *Crux* Ordinis affixa eft, demptîs, fuperiore Liliô, ac quatuor Characteribûs illîs Myfticîs; quam *Crucem* fequenti Typo expreffam damus.


Scu-



Scutiferi Pileum, & cætera, quibûs uti ſolent, indumenta, vix mutant; ſi verò Expeditioni Bellicæ interſunt, candidô Sagô, breviſque, cui *Crux* illa, quam modò depinximus, adfixa, induti; Galeáque, Scutô, Thorace, Loricâ, Haſtâ, & Enſe armati, ad prælium prodeunt; ut decorum ſit intueri, Equeſtres has Legiones, coruſcantibûs armaturîs ſuîs, Orientis inſtar ſideris, ſic procul albeſcere, fulgere, micare, ac dimicare; ſed extra militarem hanc expeditionem, holoſericam *Crucem*, armo lævo adſutam ferunt.

Quo-

Quotiescúnque autem Angelici Equites Conſtantiniani S. GEORGII, publicô in ambitu, ſecundùm Ordinem, ac Dignitatis Gradum procedunt : vel Equeſtri interſunt Expeditioni, ſecum ferunt Magnum Vexillum Cæruleum, aut etiam purpureum, in quô ab una parte, Venerab. Imago B.M.V. & Aureus Torques, cum Effigie S. GEORGII Eq. conſpiciuntur ; & ab alterâ parte Gentilitia Magni Magiſtri Inſignia ; quod Vexillum hæc lamina præſentat.



Cùm

Cùm Mennenius non incelebris ſcriptor, de Pontificiîs, Cæſareîsque Sac. Ordinis Conſtantíniani Privilegiis (de quibûs aliâ, ſi fata ſinant, opportunitate mentionem faciemus,) retulerit: hìc tantùm in Notitiam perfertur; Conſtantinianos Equites, cæteras inter conceſſiones, etiam Beneficíorum, bonorúmque Eccleſiaſticorum, eſſe participes: & ad illa jugiter poſſidenda capaces, ac idoneos. Quod ipſum per diverſas Bullas Pontificias confirmatum eſt: præcipuè verò per Bull. ſum. Pontif. JUL. III. quæ incipit: *Cùm, ſicut accepimus, &c.* & aliam: *Cùm Prædeceſſores Noſtri, &c.* A. C. MDL. item per Breve MDLI. itémque per aliam Bull. MDLI. nec non per Bull. Sum. Pontif. Paul. IV. MDLV. & per Bull. Sum. Pontif. PII IV. MDLXIV. átque per aliam MDLXV. & demùm per aliàm Sum. Pontif. S. PII V. &c.

Qúæ autem ipſum Ordinem Conſtantinianum concernunt; Equites, cujuscúnque gradûs extiterint, Magno Magiſtro Juramentum præſtare: nec non AUGUSTISSIMO ROMANORUM IMPERATORI, SUPREMO ORDINIS PROTECTORI HÆREDITARIO, Fidem jurare tenentur; quemadmodùm Diploma D. Rom. Imp. FRIDERICI III. Cæſ. Auſtriaci, idipſum fieri jubet.

CAPUT

CAPUT III.

DE MAGNO ORDINIS. MAGISTRO.

QUemadmodùm Patrum noſtrorum Providentia, tranſcriptîs priſcorum temporum monumentîs, poſteritatem ſibi obſtrinxit; pari beneficiô Inclyt. Senatus Rom. exactiorem rerûm per Orbem geſtarum memoriam, præcipuâ in cognitione hucúsque ſervare conſuevit; non immemor: ut cæteros omnes, ſic etiam Principes, cunctis fortunæ telis expoſitos: & nihil ad publicam, privatámque utilitatem meliùs eſſe, quàm Regnorum varietates, caſus, viciſſitudines intueri; quæ licèt aliis dura in experiendo fuerint, in legendô tamen ſunt nobis non injucunda: quô ſint res humanæ locô: quibúsque fatîs ſtent, cadántque Imperia: unúmque illud eſſe dignum, & juſtum; Virtutum exempla in illuſtrî poſita monumentô cuſtodire. Eam ob cauſam, Sac. S. P.Q.R. in arcanîs Tabellîs ſuîs, quæ ſervantur in Almæ Urbis Capitolio, ſummô Studiô, & curâ adnotari fecit Nomina, cognomina, arma, res geſtas, eorum; qui Sanguinis, & Virtutis Purpurâ illuſtres, Reipubl. Chriſtianæ, aliquando, Conſiliô, & auxiliô, aut ornamentô fuiſſent, utróque tempore, belli, & Pacis. Hæc laudatiſſima Patrum Conſcriptorum, Conſervatorúmque in Almâ Urbe Roma ſolicitudo,

& provecta ad noſtratia úsque tempora conſuetudo, ratæ ſemper fuit fidei, & auctoritatis.

Quâ itáque publicâ Inclyt. Senatûs Rom. Fide, & Auctoritate, quâ pollet antiquiſſimâ, eadémque maximâ, præ cæteris Principibus, Orientalis Imperii Hæredes, in æternam ſæculorum Famam adſerti, lapſam, ac velut conſpirantibûs deinde Fatîs, præcipitatam Nominis, Dignitatis, ac fortunarum memoriam, velut reliquam ex naufragiô tabulam, in tutô collocaverunt.

EMMANUEL II. Græcor. Orient. Aſiæ Imp. XCVIII. poſt devictum à Tamerlano Bajazetem, ex Galliis, per Italiam, Conſtantinopolim redux, ac ſi jàm infauſtum ſub Filio ſuo, *Conſtantino XV.* Imperii excidium prævidiſſet; An. MCCCCIII. Inclyt. Senatûs Rom. Albo ſe inſcribi fecit; ne Sacra Aug. Familiæ ſuæ pignora, Nomen, Virtus, Honos: &, cum his omnibus, Equeſtris Angelici Conſtantiniani Ordinis Sacerrima Dignitas, quam D. Imp. *Conſtantinus M.* Sanguine ſuô conſignaverat, deletâ ejusdem memoriâ, peſſundaretur.

Theodorus Palæologus Porphyrogenitus, *Imp. Emmanuelis* Fil. ac *Impp. Joannis VIII.* & *Conſtantini XV.* Frater: Aug. Patris veſtigia ſecutus, An. MCCCCXXXVI. ſe, unâ cum Fil. *Emmanuele Petro*, Inclyt. Senatûs Rom. Excelſiſſimo Archivio Secreto, publicâ ſolemnitate inſcribi, & adnotari curavit.

Pari

Pari celebritate, Sac. S. P. Q. R. Patres, An. M. DXXV. *Theodorum*, *Aloysium Blancum*, & *Victorem* dicti *Emmanuelis* Petri *Flavii Palæologi* Filios; ac insuper *Joan. Theodorum*, cum ejus Fil. *Georgio*: nec non *Demitrium* ex *Georgio* natum: atque *Hieronymum*, *Demetrii* Fil. servatis in Curiâ Voluminibus arcanis inserverunt.

Qui *Jo. Theodorus*, (quod inmisere hîc visum est,) primùm à Sereniss. Laurentio de Medices, ob spectatam Sanguinis, Virtutum, & Eruditionis Excellentiam, singulari cum benevolentiâ exceptus, ab eodémque Constantinopolim, ad Bajazetem, cum Oratoris munere, ac publ. Fidei literis missus: ac postquàm rediisset, ad Regem deinde Galliar. *Ludovicum XII.* profectus, non imparî ab illô honorificentiâ habitus, & Orator ad Rempl. Venetam legatus est. Hîs muneribûs expletîs, à LEONE X. sum. PP. demùm Romam accersitus, in Alma Urbe, postquàm XC. Annos vixisset, diem suum clausit; cum totius, ab se, tot insignibûs meritîs ornatæ, Reipubl. literariæ luctû, piáque multorum invidiâ, in Ecclesia S. Agathæ humatus est. Ubi super ejus Sepulchrô legitur Epitaphium Græcum, à Majorano Galantino translatum.

Lascaris in Terrâ est alienâ Terrâ sepultus
Hoc nimis extremum quod quæritur erat;

Quam placidam, ô Hospes, recipit; sed distet Achaëis
Libera, quòd nec adhuc Patria fundat humum.

Eâdem Incl. Senatûs Rom. Auctoritate, An. M. DLXV. & alter *Hieronymus*, nominati alterius Hieronymi Fil. cum *Alexio Aranito*, & *Aloysio Blanco*, Fratrib. nec non An. MDCXXXXI. *Jo. Andreas*, & *Petrus Angelus* Filii mox dicti Hieronymi; secretioribus Almæ Urbis Romæ Tabulis, in æternam rei memoriam, inscripti, & adnotati sunt. De memoratô jàm Alexiô, in Civitate Anconâ, jugis adhuc exstat Memoriâ, & quidem in Xenodochiô, ab eodem fundatô, pro Incl. Nationis Græc. obsequiô; in Vestibulô legitur:

ALEXII, LASCARIS,
RE MILITARI STRENUISSIMI,
XENODOCHIUM DIVÆ ANNÆ DICATUM,
SUIS EXPENSIS EMPTUM,
INSTAURATUMQUE.
·MDLXVII.

Et eâdem in Domô Hospitali conspicitur Cenotaphium; cum adjunctâ hâc Inscriptione.

D. O. M.
ALEXIS. LASCARES.
PALÆOLOGORUM. SANGUINE. ORTUS.
FRANCISCO. PATRITIO. LACEDÆM.
GONZAGÆ. MANT. PRINCIPI.
TURMÆ. EQUIT. PRÆF. MILITAVIT.

IMPER

IMPER. CAROLI. V. EQUIT. ALÆ. PRÆF.
BELLIS. ALIQUOT. NON. SINE. GLORIA.
INTERFUIT.
CLEMENTIS. VII.
HYPOLITI. CARD. COMMENDATIONE.
PRIMUM. INDE. VIRTUTE. SUA. PROBATUS.
PRÆFUIT. ITEM. EQUIT. ALÆ.
PAULO. III. JULIO. III. ET MARCELLO. II.
PP. MM. CUMULATE. SATISFECIT.
PAULO. IV. ET PIO. IV.
LEGATI. MUNERE. APUD. EQUIT.
STRENUE. FUNCTUS.
ANNUM. AGENS. LXX.
AD. RECINENSES.
CHRISTIANE. DECEDENS.

OCT. KAL. JULII. MDLXII.

DRUSINA. UXOR. P. H. S. E.

Sub eadem penè Tempora, *Rochus Petrus*, dicti paulò ante *Jo. Andreæ* Fil. Juxta, ac *Angelus Maria*, ejus ex fratre Nepos, ſanctiori excelſiſſ. Curiæ Roman. Matriculæ inſcripti fuerúnt. Intereà, *Angelus Maria*, *Petri Angeli* Fil. improles, *Franciſcum*, Hieronymi, Avi ſui Abnepotem, *Rochi Petri* Filium, An. MDCXXXXIX. arcanis Sac. S. P. Q. R. Scriniis,

 ſcrip-

ſcriptísque, ſecum ſolemniter inſeri fecit; & eundem *Franciſcum* pro Magno jàm poſt ſe Magiſtro haberi, agnoſci, & declarari; transfuſô in ſeriem rectam certô Jure.

Igitur *Franciſcus*, *Rochi Petri Fil.* Pater verò adhuc ſuperſtitis *Jo. Antonii*, cum eodem *Jo. Antonio* Fil. ſuô, tunc admodùm Juvene, An. MDCLXXIX. providô Majorum more, ad Inclyt. Senatum Rom. acceſſit: & Indulgentiâ Senatûs, perluſtratîs aliquot antiquiſſimîs Archivii voluminibûs, adnotata Avorum Nomina cognovit, & decretos his illis honores.

Quâ fide publicâ, auctoritate perpetuâ, & ampliſſimâ dignatione Senatoriâ proinde fretus, & ille, Majoribus adſignari ſe fecit; nihil interruptô Senatûs Conſultô. Donec *Jo. Antonius*, quamvis cum Patre jàm agnitus eſſet, An. MDCCXVIII. Inclyt. Senatum Rom. adiit, ab eodémque recenſeri æſtimavit: atque veluti poſtliminiò, adſervatis in Excelſiſſ. Capitolii Curia Decretorum libris, magnâ utrínque cum lubentiâ, inſcriptus eſt: & quidem peculiarî quâdam compellatione dictatoriâ; quem admodùm in indulgentiſſimo Diplomate Romano, quod Almæ Urbis Conſervatores obſequenter executi ſunt, perquàm videre eſt.

Nos

Nos Comes Paulus Cremona, ac Petrus Paulus Eustachius, & Lucius Sabellus Almæ Urbis Conservatores.

UNiversis, & singulis, præsentes has nostras testimoniales litteras visuris, audituris, & inspecturis, notum facimus, & attestamur; qualiter in voluminibus Incl. Populi Romani, in Capitolii Curia, ac in Archiviô Secretô Excellentissimæ Cameræ Almæ Urbis servatis, & sub custodiâ Sacri S. P. Q. R. Scribæ existentibus, in quibus de præteritô adnotabantur, & scribebantur, ac de præsenti adnotantur, & scribuntur nomina, & cognomina illorum, qui Romani Nominis studiosissimi, ac Familiæ laude, atque splendore, & propriis Virtutum meritis dignissimi, virtutéque, & Nobilitate præstantes, maximò Reipubl. nostræ usui, atque ornamento fuisse, vel aliquando esse posse cognoscebantur, & cognoscuntur; summâ S. P. Q. R. curâ, ac studiô, Majorum exemplô, amplissimâque auctoritate, & consuetudine imitandâ, atque servandâ, in Romanorum Civium, Nobilium, Patritiorumque ordinem meritò adscribebantur, & adscribuntur, inque Senatorum numero cooptabantur, & cooptantur, omnibúsque Romanæ nostræ Reipublicæ privilegiis, indultis, gratiis, honoribus, atquè prærogativis, Jure decorabantur, & decorantur. Quapropter, reperientes Nos, sequentes, dictæ Almæ Urbis nostræ Privilegiorum concessiones, & confirmationes, quarum

rum tenor est videlicet: In libro Decretorum Inclyti Populi Romani An. Domini 1525. Indictione 13. die verò 16. Maji, Pontificatûs Sanctissimi Domini Clementis VII. Anno 2.do, legitur, id est, eôdem die, An. Mense, Indictione, & Pontificatû, Idem Magnificus Dominus primus Conservator exposuit, quàm maxima fuit, & sit aviditas, & desiderium Celsissimi D. D. Joannis Theodori Lascaris, jure sanguinis perpetui Magni Magistri Ordinis Constantiniani S. GEORGII, Filii bonæ mem. Michaelis Theodori Lascaris, Angeli Flavii Comneni Palæologi, vulgariter dicti de l' Ales, de Augustâ Prætoriâ, obtinendi renovationem Patritiatûs, & recognitionem suæ Cæsareæ, Regalisque Prosapiæ, cum omnibus facultatibus, Indultis, & Privilegiis eidem spectantibus &c. & novam acceptationem in Civem, Nobilem, Procerem, Patritiúmque Romanum, in eôdem modô, & formâ, quô aliàs fuerunt recogniti, & aggregati ejus Celsissimi Progenitores, ut apparet de Isacio Angelo Michaelis Lascaris Angeli Flavii Comneni Palæologi, in libro Decretorum, & Consiliorum ab Anno 1436. usque ad annum 1447. pag. 113. & in alio libro antiquiori de Theodoro Lascaris Angeli Flavii Comneni de Anno 1392. ad Annum 1403. pag. 140. filio Emmanuelis, Thomæ Emmanuelis, Fil. Theodori Imp. Græcorum Orientalium Asiæ, Hæredis Constantini Magni. Quâ expositione auditâ, discussâ, & benè consideratâ ab eodem

dem

dem S. C. eundem D. Joannem Theodorum, & Georgium ejus filium, cum Demitriô ejus ex filiô nepote, dictam novam recognitionem, & acceptationem unanimiter fecerunt, instituerunt, & denuò creaverunt, cum eâ lege, & statutô, quòd semper, & in perpetuum teneantur Urbem Romam pro eorum Patriâ, & eorum, quam habent libertatem, tueri, & ampliare, Civesque suos Romanos, fraternâ dilectione amplecti, & diligere, omni meliori modô &c. Acta fuerunt hæc in logiâ Palatii Magnificorum D. D. Conservatorum; præsentibus Domino Juliô de Alzatellis, & D. Hieronymô Castronô testibûs. Et in volumine de Anno Domini 1556. sub. fol. 107. & 108. leguntur, munere Romanæ Civitatis decorati, Illustrissimus D. Aloysius Blancus Palæologus, Angelus, Lascaris, Flavius Comnenus de l'Ales, & Illustrissimus D. Alexius Lascaris Palæologus, ac Illustrissimus D. Hieronymus Angelus Lascaris Flavius Comnenus de l' Ales, de Augustâ Prætoriâ, præfati Illustrissimi D. Aloysii Fratres consobrini. Et in aliô simili volumine in Consiliô Secretô, & publicô, sub diebus 23. Septembris & 25. ejusdem 1594. hæc habentur: Illustrissimus D. Joannes Andreas, & Petrus Angelus Lascaris Flavii Comneni de l' Ales. Et in aliô volumine in Consiliô secretô, habitô die 16. Martii, & publicô 18. ejusdem 1641. apparet Jo. Andreas, & ejus Filius Rochus Lascaris Comnenus de l'Ales, de Augustâ Prætoriâ;

toriâ; & in eodem volumine de Anno 1644. legitur ſub die 24. Maji & 3. Junii D. Rochus Laſcaris Comnenus de l' Ales, de Auguſtâ Prætoriâ. Et in alio ſimili volumine in Conſiliô Secretô habitô die 27. Novembris, & publicô, die 2. Decembris 1649. hæc apparent; D. Angelus Maria Angeli Flavii Laſcaris Comneni, & Dominus Franciſcus Laſcaris Angeli Comneni Flavii, vulgariter de l'Ales, de Auguſtâ Prætoriâ, jure Sanguinis Magnus Magiſter Ordinis Angelici S. GEORGII Conſtantiniani &c. ex fratre nepos. Et in aliô recentiori volumine, legitur ampliſſimum Diploma renovationis, & confirmationis &c. Nobilitatis, & Patritiatûs Ordinis, expedit. favore Celſiſſimorum D. D. Franciſci Patris, & Jo. Antonii Laſcaris, cujus tenor eſt, videlicet: Nos Conſtantinus Vechiarellius, Marius Bonaventura, & Petrus Millinus, Cameræ Almæ Urbis Conſervatores. De Generoſis, & Egregiis, ac Nobilibus, Celſiſſimis Viris, D.D. Don. Franciſco Patre, & Don. Jo. Antonio, legitimo filio Laſcaris Angeli Flavii Comneni, vulgariter dicti de l' Ales, ſive L' Aſiæ, Magni Epiri, Mediæ, Macedoniæ, & Lariſſæ Ducibus, Principibúsque Peloponneſi &c. jure Sanguinis perpetuis Magnis Magiſtris, ſupremi Ordinis Angelici Conſtantiniani S. GEORGII, ex lineâ maſculinâ, de Patre in filium, Cæſ. Græcorum Imperatorum Aſiæ, legitimè deſcendentibûs, liberis Comitibus Inſulæ Cephaleniæ &c. Glo-

Glorioſa cunctarum Gentium Patria, Urbs Roma, honorúmque, & dignitatúm fœcunda Parens, quæ ab ipſis ferè primordiis, ſuæ prodiga claritatis, eximium nacta nobilitatis, & virtutum Inſigne, quos ipſa Exteros, vel Togæ meritis inſignes, vel nobilitate conſpicuos, vel diuturnô incolatû, rectâ annorum, & dignitatum ſerie comparatâ, noſſet aliquando Reipublicæ profuturos, Avitarum non tantùm Virtutum imitatrix, ſed conſuetudinum ſedula Cuſtos, morem hunc venerandæ antiquitatis, primô quidem à Regibus ſuis egregiè inſtitutum, deindè verò, à Republicâ univerſi Terrarum Orbis Legislatrice, perpetuò obſervatum, ad hæc usquè tempora, laudabiliter eſt ſectata, exteros ipſos, quos benignè excipiens, Civitate Romanâ donavit; eam ſanè iis reſtituat, eosque redintegret, maximè convenit, qui Romanam Originem recipiunt, ac antiquarum Romanarum Familiarum Nobilitatem, & Cognomentum adhuc retinent. Cúmque Nos, Generoſos, & Egregios, ac Celſiſſimos Viros D. D. Don Franciſcum filium clar. mem. Rochi, & Don Jo. Antonium Filium ejusdem Don Franciſci, de Auguſtâ Prætoriâ, Laſcaris Angeli Flavii Comneni, dictos vulgariter de l'Ales, ſive L'Aſiæ, Magnos Epiri, Mediæ, Macedoniæ, & Lariſſæ Duces, Principesque Peloponneſi &c. hæredes Conſtantini Magni, jure Sanguinis perpetuos Magnos Magiſtros Angelici Ordinis Equitum S. GEORGII, liberos Co-

mites Insulæ Cephaleniæ &c. Originem trahentes de Patre in Filium ex lineâ masculinâ, immediatè ex Cæsareâ Familiâ Angelâ Flavia Lascarâ Comnenâ Palæologâ, Græcorum Imperatorum Orientalium Asiæ, ut nobis constat ex diversis, & publicis scripturis, & authenticis attestationibus, & recognitionibus, factis, & approbatis à nostris Antecessoribus, in personas eorum Progenitorum, in archiviô secretô Nostræ Excellentissimæ Cameræ existentibus, & præcipuè de Angelo Maria Angeli Flavii Lascaris Comneni ejus Patruô, Civitate donatô, & recognitô in Consiliô secretô, & publicô, sub diebus 27. Novembr. & 2. Decembris An. 1649. in libro Decretor. Inclyti Populi Romani pag. 109. & 110. & de Rocho ejus Patre Lascaris Comnenô &c. dell' Ales, de Augustâ Prætoriâ, pariter Civitate denuô donatô, & recognito &c. in Consilio Secreto, & publico sub diebus 24. Maji & 3. Junii Anni 1644. in eôdem librô, ut suprà &c. & de Jo. Andrea, & Rocho ejus filio Lascaris Comneno de l'Ales, de Augustâ Prætoriâ, Civitate denuò donatîs, & recognitîs in Consilio secreto, & publico, sub diebus 16. Martii, & 18. Martii Anni 1641. pag. 3. & 4. & de Hieronymo Angelo Lascaris Flavii Comneni de l'Ales, de Augustâ Prætoriâ, pariter Civitate donato, recognito in Consilio ordinario Capit. Region. sub die 7. Id. Junii An. 1556. & de Jo. Andrea, & Petro Angelo Lascaris Flavii Comneni, de l'Ales, pariter

riter Civitate donatis, & approbatis in Consilio secreto, & publico, sub diebus 23. Septembris, & 25. Septembr. An. 1594., & de Jo. Theodoro Lascaris Angeli Flavii Comneni, vulgariter dicto de l' Ales, pariter Civitate donato, & recognito, in consilio secreto, & publico, sub die 16. Maji 1525. & de Isacio Angelo Michaele Lascaris Angeli Flavii Comneni Palæologi, in lib. decretorum Anni 1436. ad annum 1447. & de Theodoro Lascaris Angeli Flavii Comneni ab anno 1392. ad annum 1403. in quibus apertissimè apparet, quòd eadem Imperialis, Regalisque Familia Lascara Angela Flavia Comnena Palæologa, uti talis recognita fuit à plurimis Pontificibus Romanis, nempè, Calisto III. Pio II. Xisto IV. Innocentio VIII. Leone X. Paulo III. Marcello II. Paulo IV. Pio V. & Xisto V. & aliis summîs Pontificibûs &c. cum omnibus, & singulis facultatibus, prærogativis, & privilegiis spectantibus, & pertinentibus eidem Cæsareæ, Regalique Familiæ Lascaræ Comnenæ Palæologæ, nempè jure Sanguinis, concedendi in perpetuum quoscumque titulos Principum, Comitum, Baronum &c. creandi Equites Supremi, & Angelici Ordinis Constantiniani S. GEORGII Equites Auratos &c. Notarios, Scribas, laureandi Doctores cujuscumqûe generis, legitimandi spurios, ex quocumque illegitimo coitu, abolendi quamcumque infamiam, cum aliis immunitatibus, & Privilegiis, facultatibus, prærogativis, & innume-

numerabilibus exemptionibus , cum declaratione, quod omnes descendentes ex dicta Celsissima, & Inclyta Familia Lascara Angela Flavia Comnena Palæologa, sint perpetui Commensales summorum Pontificum, semper uti tales recogniti ab universali Ecclesia, tamquàm descendentes à dicta Imperiali, Regalique Familiâ, & hæredes Constantini Magni, Benefactoris, & Fundatoris Basilicarum Vaticani, Laterani, S. Pauli, S. Crucis, S. Agnetis, & aliarum Religiosarum molium Constantinianarum, ortos acceperimus, & recognoverimus; Eosdemque singulari in Populum Romanum Studiô, fide, & observantiâ semper fuisse, nihilque indignum Heroicis Viris, ac contestatâ, & perenni Majorum suorum præclarissimâ Virtute, & notissimô candore, nunquam intercisæ, ac incorruptæ altæ Nobilitatis; inspectisque singularibus animi dotibus; præfatos Celsissimos, & Nobilissimos D. D. Magnos Epiri, Mediæ, Macedoniæ, & Larissæ Duces, Principesque Peloponnesi, & jure Sanguinis Magnos Magistros Angelici Ordinis Sancti GEORGII, & Comites Liberos Insulæ Cephaleniæ &c. Lascaros Angelos Flavios Comnenos Palæologos, unquàm fecisse; fidem, ac jusjurandum piè, Sanctequè coluisse, planè cognoverimus, eorum deniquè virtus, integritas, bonitas, magnanimitas, Generis alta Nobilitas, & in rebus agendis prudentia, nobis satis probatæ sint; ob eas res, justîs de causîs, & in obsequium tantorum Viro-

Virorum, Imperialisque eorum Familiæ, existimavimus, & decrevimus, præfatos Clarissimos, & Celsissimos Viros D.D. Don Franciscum Patrem, & D. Jo. Antonium ejus legitimum Filium Lascaros Comnenos Angelos Flavios Palæologos, Magnos Epiri, Mediæ, Macedoniæ, & Larissæ Duces, Principesque Peleponnesi, jure Sanguinis Magnos Magistros Ordinis Angelici S. GEORGII, Comitesque liberos Insulæ Cephaleniæ &c. sic eorum benignitate acceptante, amplissimô hôc munere decorandos, confirmandos, & approbandos, & uti descendentes ex supradicta Imperiali, Regalique Familia, recognoscendos, tractandos, & honorandos, prout Nos recognoscimus, tractamus, & honoramus, cum omnibus indultis, facultatibus, Privilegiis, & prærogativis, sibi, eorumque Inclytæ Cæsar. Imperiali, Regalique Familiæ spectantibus, & pertinentibus. Volumusque insuper, & uti tales, quales recogniti fuerunt eorum Majores à nostris Antecessoribus, prout apparet ex citatis libris, & à præfatis, & aliis summis Pontificibus recogniti, à nostris Successoribus in infinitum, & ab omnibus, & singulis nostræ jurisdictioni mediatè, & immediatè subjectis, tractati, & honorari sint: nec non Romanâ Civitate, Nobilitate, ac Patritiatûs ordine denuò donandos, ac confirmandos, & approbandos, inquè Senatorum Ordinem meritò coaptandos esse, prout præsentibus nostris, authoritate præfatâ,

fatâ, eosdem Celsissimos D. D. Don Franciscum, & Don Jo. Antonium ejus filium, Lascaros Angelos Flavios Comnenos Palæologos decoramus, decernimusque, ut præfati Celsissimi D. D. Don Franciscus, & Don Jo. Antonius Lascaris Angeli Flavii Comneni Palæologi, eorumque liberi, nepotes, & Successores, in perpetuum liberè possint in Senatum venire, Sententiam dicere, Magistratus gerere, Sacerdotia obtinere, bona libera, atque immunia habere, iisque immunitatibus, honoribus, gratiis, & prærogativis uti, frui, fungi, potiri, & gaudere, quibus Cives, Nobiles, Proceres, Patritiique Romani in ipsa Urbe nati, aut jure optimô facti sunt, perque omnes Reipublicæ gradus, continuatâ successione evecti sunt, utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, fungi, potiri, & gaudere solent, debent, & possunt; quodque præfati Celsissimi D. D. Don Franciscus, & Don Joannes ejus filius Lascaris, Angeli Flavii Comneni Palæologi, quique ab ipsis nascentur, & venient, omnes, Cives, Nobiles, Proceres, Patritiique Romani nati, eodemque jure sint, gentemque habeant S. C. Authoritate firmiter statuimus. Qui impediet, sciat, Senatum existimaturum, eum contra Rempublicam fecisse. Quæ, ut nota, testatáque imposterùm essent, ab actis publicis, in quibus hæc ad æternam rei memoriam continentur, & servantur, præsens Civitatis, Nobilitatis ac Patritiatûs Privilegium amplissimum

per

per nos firmatum fieri, ſolitôque Vrbis ſigillô communiri, ac, ab ejusdem Sacri S. P. Q. R. Scribâ ſubſcribi mandavimus. Ex Capitolio, annô ab Urbe CIƆCIƆCDXXXI. ac ab Orbe redempto 1679. die 6. Octobris. Conſtantinus Vechiarellius Conſervator, Marius Bonaventura Conſervator, Petrus Millinus Conſervator, Camillus Savanus pro S. P. Q. R. ſcriba &c. Et in alio ſimili volumine, de annô præſenti 1718. legitur ſub fol. 122. infra recognitio ampliſſima, & expreſſa declaratio præfatæ Antiquiſſimæ, Auguſtæ, Cæſareæ, Imperialis, Regaliſque Proſapiæ, Angelæ Flaviæ Laſcaris Comnenæ Palæologæ, à Noſtris Prædeceſſoribus expedita, ſub die 28. Februar. 1718. tenoris ſequentis videlicet.

Nos Tiberius Cincius, ac Marchio Franciſcus Serlupius de Creſcentiis, & Marchio Franciſcus Burbonius de monte, Almæ Vrbis Conſervatores. Celſiſ. ac Sereniſſimo Viro D. Don. Jo. Antonio Laſcaris Angelii Flavii Comneni, Magno Epiri, Lariſſæ, Mediæ, & Macedoniæ Duci, Principique Peloponneſi &c. ac Magno, & perpetuo Magiſtro, jure Sanguinis, ſupremi Ordinis Angelici Conſtantiniani Equitum S. Georgii, ex lineâ Maſculinâ de Patre in filium immediatè Cæſarum Græcorum Imperatorum Orientalium Aſiæ legitimè deſcendenti, libero Comiti Inſulæ Cephaleniæ &c. S. P. Q. R. Authoritate, quâ fungimur, de eâ re, ita fieri cenſuimus. Inter majora, quæ

men-

mentis, acie animoque totô, & ſemper attentô ſpectanda ſunt ab iis omnibus, qui à Deo Opt. Max., ut Nos, Divinâ ejus Providentiâ ſumus, collocantur in eminentiſſimô Regiminis ſoliô, Virtus præcipuè, fortunaque Illuſtrium Heroum ante oculos habenda eſt. Quamquam enim perpetuò S. P. Q. R. ad totius humani generis decus, & ornamentum reſpicere debet, & Authoritate, quâ ſummâ inter mortales præſtat, poſſit quoſcunque vult, gradibus, titulis, privilegiis, honoribus, atque adeò dignitatibus decorare; hæc tamen non omnibus facilè ſunt impertienda, ſed, cui tribuantur, maximè animadvertendum; ſin autem à Nobis eſt quiſpiam ultrò noſtris beneficiis afficiendus, ille certè præ cæteris dignus habetur, qui perantiquæ ſuæ originis ſplendore, aut ſingularis alicujus virtutis lumine eluceſcit. Sed Tu prænominare Celſiſ. ac Sereniſ. Don Jo. Antoni Laſcaris, Angeli Flavii Comnene, Magne Epiri, Lariſſæ, Mediæ, & Macedoniæ Dux, Princeps Peloponneſi, ac jure Sanguinis Magne, perpetueque Magiſter Equitum Supremi Ordinis Angelici Conſtantiniani S. Georgii, & liber Comes Inſulæ Cephaleniæ &c. Fili legitime fel rec. Don Franciſci Laſcaris, vulgariter dicti del' Ales, ſive l' Aſiæ, de Auguſtâ Prætoriâ, eâ Sereniſſimorum Majorum tuorum Nobilitate, eâque plurium egregiarum virtutum gloriâ fulges, ut ferè nihil, aut valdè parum novis Perſonæ, Proſapiæve tuæ ornamen-

mentis videaris indigere. Quippe Conſtantinus Magnus, Theodorus ſive Theodoſius, Comnenus, ſive Laſcaris, Heraclius, Carolus Magnus, Imperatores, Joannes Emmanuel, & Conſtantinus Duces, Theodorus Alexius, vulgariter dictus l' Aſiæ, ſive Laſcaris, Angelus Flavius Comnenus, Michaël, Angeli Flavii Comneni ſive del' Ales, & Conſtantinus Duces, tui fuerunt Græci ritûs Progenitores, à quibus de Patre in filium ex legitimâ lineâ maſculinâ immediatè deſcendis. Igitur nullis præeminentiîs, favoribus, indultis, luminibusve Sereniſſimæ tuæ Domui, aut Tibi, vel poſteris tuis eſt opus. Nam ſi hodie non Regnô, aut Imperiô, ampliſſimôque ſtatu, quô tui Progenitores, miſerandâ tot Illuſtrium Græcorum internecione ſpoliati ſunt, hæreditaria ſaltem jure Sanguinis Deſcendentes tui omnes, & antiquiſſimâ ſuâ ſemper (ut æquum eſt) gloriabuntur, & gaudebunt facultate; poſſe ſcilicet ſucceſſivè quoſcunque ubique locorum, gradibus, titulis, prærogativis, honoribusque inſignire. Auctoritas eſt enim ſuprema Tibi, quæ continuata, & diffuſa in Majores tuos redundavit, quæque unà cum aliîs, quibus affluis, facultatibus, Imperialibus, Regalibusque, perpetua manabit in filios, nepotes, hæredes, ſucceſſoresque tuos, generis cujuſcunque, inchoata Divinô favore ab Inclyto Conſtantino Maximo ſupradicto, de quo hæres es Tu, & tua Nobiliſſima Progenies, aucta à

Leone I. & ab Heraclio Imperatoribus, confirmata à Friderico III. Maximiliano II. Ferdinando II. Leopoldo I. Josepho I. à Michaële Palæologo, hoc est, â tuis ipsis Progenitoribus. atquè adeò longiùs provecta à Calisto III. Pio II. Sixto IV. Innoc. VIII. Paulo III. Marcello II. Paulo IV. Pio V. Sixto V. & aliîs summis Pontificibus; nec non à Patriarchis, Episcopis, Archiepiscopis tùm Græcis, tùm Armenis, & Syriacis latissimè contestata; creandi nimirùm, & admittendi, seu creari, & admitti faciendi, Sanctissimo, & Angelico Crucis Ordini Equites sub titulo S. Georgii, & Regulâ S. Basilii, Angelicos, Heraclianos, & Constantinianos, cum facultate ferendi Crucem rubeam sericam aurô circumdatam in pectore, & ad latus sinistrum, cum ense deauratô: gestandiquè Aquilam Imperialem bicipitem, coronatam, auream, in campô rubrô, & unâ cum armis, Insigniîsque Domorum Gentilitiîs inferendi, atquè adeò illa utendi in quibuscumque Sigillis, vasibus, sepulchris, ac omni tempore, & in quolibet licito loco, cum omnibus, & singulis authoritatibus, honoribus, præeminentiîs, indultis, gratiîs, & exemptionibus, quæ non solùm continentur in Statutis, & Capitulis ipsius Militiæ S. Georgii, sed etiam, quæ Majores in similibus dari, concedique possent. Quam quidem tuam supremam Authoritatem, ut Nobis latissimè constat ex scripturis authenticis, publicisque

que atteſtationibus in Archiviô ſecretô Noſtræ Excellentiſſimæ Cameræ exiſtentibus, & præcipuè in voluminibus Conſiliorum, & Decretorum Inclyti P. R. in volumine de annô Domini 1515. uſque ad annum 1526. in conſiliô habitô die 16. Maji 1525. ſub fol. 142. & in volumine de anno 1641. usque ad annum 1660. in conſiliîs ſecretô, & publicô habitis ſub diebus 16. & 18. Menſis Martii 1641. fol. 3. & 4. & pariter in aliîs ſimilibus conſiliîs habitis ſub diebus 24. Maji & 3. Junii 1644. fol. 43. & 44. & ſimiliter in eodem volumine in aliîs Conſiliîs habitis ſub diebus 27. Novembris & 2. Decembris 1649. ſub fol. 109. & 110. nec non in ſimili aliô recentiori volumine Conſiliorum, & Decretorum dicti Inclyti Populi Romani, incipiente de anno 1661. usquè ad annum 1697. ſub fol. 107. Diploma confirmatorium Civitatis, Nobilitatis, ac Patritiatûs ordinis, aliàs expeditum favore Celſiſſimorum DD. Don Franciſci Patris, & Don Jo. Antonii Filii de Laſcaris Angeli Flavii Comneni, vulgariter dicti, del' Ales, ſive l' Aſiæ, de Auguſtâ Prætoriâ, ſic modò promulgamus, recognoſcimus, & atteſtamur: Scientes Te, tuosque liberos, aut jàm natos, aut naſcituros, nepotes, & poſteros omnes, poſſe eandem authoritatem ſemper ad libitum, & placitum ſuum in alios quoquè transferre. Proximior enim Tu, jure Sanguinis Imperiali Angelæ Flaviæ Comnenæ Laſcaris l' Aſiæ, ſeu Ales, Coro-

 næ,

næ, propterea Primus Magnus, & perpetuus Angelici Ordinis Constantiniani S. Georgii, Eques, & Magister &c. ut demonstrat etiam hoc idem, tuum Stemma Imperiale, quô uteris in magnô Sigillô diversorum Diplomatum, quorum vigore adscriptæ fuerunt in Nobiles, Patritiosque Romanos, plures personæ: quod Stemma est: Aquila biceps Coronata Imperiali Coronâ, in cujus corpore adest Stemma Regium Diademate ornatum, spatiumque ipsius sex vanis distinctum. In quorum unô adest Aquila, in Campo purpureo; In aliô, apparet Crux aurea in Campô rubeô: in aliô adest divisio, seu Zona rubea cum tribus Sbarris Cœlestibus, & supra istis duæ Coronæ Regales aureæ in Campo Argenteo: In aliô, Imago Angeli porrigentis palmam homini genuflexo: In aliô, duo brachia purpurea manibûs gestantia Diadema Imperiale, in Campô cœlesti: & deniquè in aliô, & ultimô, adest Aquila aurea biceps coronata coronis aureis in Campo purpureo, & circiter totum Stemma, Torques Magni, & Angelici Ordinis Constantiniani S. Georgii, ut etiam nobis constat ex diversis aliîs publicis documentis, scripturis, & authenticis attestationibus, in Archivio Secreto dicti Inclyti Populi, & Excellentissimæ Cameræ Capitolii repertis, & aliîs productis sub die 28. Februarii præsentis anni 1718. sed quascumque alias etiam Dignitates, Serenissima Familia tua, Potestatem habet,

con-

conferendi, ac Tu ipse, Cels. ac Serenis. Magne Dux, Don Jo. Antoni, in Diplomatibus supradictorum Imperatorum, Summorumque Pontificum apud Nos degentibus, nimirùm concedendi quoscumque titulos Principum, Comitum, Baronum &c. Sac. Pal. Apostolici, ac Aulæ Lateranensis, & Imperialis Consistorii: & Equites cujuscumque generis, & ordinis, Notarios, Scribas; laureandi Doctores, Poëtas; legitimandi spurios ex quôcumque illegitimô coitu; abolendi quamcumq; infamiam, cum aliîs immunitatibus, indultis, privilegiîs, prærogativis, & innumerabilibus exemptionibus spectantibus, & pertinentibus Tibi, & tuæ Cæsareæ, Imperiali, Regalique Familiæ, cum declaratione insuper, quòd omnes descendentes ex tua Inclyta Familia Angela Flavia Lascara Comnena Palæologa, sint perpetui Commensales summorum Pontificum, semper uti tales recogniti ab universali Ecclesia, Benefactores, tamquàm immediatè de Patre in filium descendentes á dictâ tuà Imperiali, Regalique Familiâ, & hæredes Constantini Magni summi Benefactoris Ecclesiæ Catholicæ. Hinc est, quòd Nos, attentis supradictis authenticis scripturis &c. Imperatorum, summorumque Pontificum &c. & in obsequium Tui, Celsissime, & Serenissime Vir, declaramus, approbamus, & honoramus Te Celsissimum, ac Serenissimum Don Jo. Antonium Lascarum Angelum Flavium Comnenum, Magnum Epiri, Me-

Mediæ, Lariſſæ, & Macedoniæ Ducem, Principemque Peloponneſi, Magnum, & perpetuum Magiſtrum Supremi, & Angelici Ordinis Conſtantiniani S. Georgii, tuosque Liberos, Nepotes, Poſteros, deſcendentes ex lineâ maſculinâ, de Patre in filium immediatè à Cæſareis Græcis Imperatoribus Orientalibus Aſiæ, cum omnibus aliîs immunitatibûs, indultîs, privilegiîs, prærogativîs, exemptionibûs, ſpectanctibus, & pertinentibus Tibi, & Tuæ Cæſareæ, Imperiali, Regalique Familiæ, eô modô, etiam ampliori, & ſpecialiſſimâ formâ, quibûs recogniti fuerunt tui Majores ab Imperatoribus, ſummisque Pontificibus, & à Noſtris Anteceſſoribus, ſic Nos recognoſcimus, honoramus, tractamus, Te Celſiſ. ac Sereniſſ. D. Don Jo. Antonium Laſcarum Angelum Flavium Comnenum, vulgariter dictum del' Ales, ſive l' Aſiæ, tuoſque Succeſſores in infinitum: & volumus, ac mandamus, ut à noſtris Succeſſoribus, & ab omnibus, & ſingulis S. P. Q. R. mediatè, & immediatè ſubjectis recognitus, tractatus, & honoratus ſis, cum omnibus facultatibus, indultis, privilegiîs, & prærogativis, ut ſupra &c. ſpectantibus &c. Qui contraveniet huic noſtræ declarationi, & recognitioni, ſciat Senatum exiſtimaturum, eum contra Rempublicam feciſſe. Quæ ut nota, teſtataque impoſterùm ſint, ab actis publicis, in quibus hæc continentur, & ſervantur, præſens declaratio, & recognitio ampliſſima per Nos

firma-

firmata fieri, ſolitôque Urbis Sigillô communiri, ac ejusdem S. P. Q. R. Scribâ, ſubſcribi mandavimus. Ex Capitolio, annô ab Urbe &c.

Præſentes has noſtras teſtimoniales litteras in fidem, & teſtimonium, manu noſtrâ firmatas fieri, ſolitôque Urbis Sigillô communiri, ac ab ejusdem Sac. S. P. Q. R. Scribâ, ſubſcribi mandavimus. Ex Capitoliô, annô ab Urbe conditâ 2470. ab Orbe autem redemptô 1718. Idibus Maji.

(L.S.) Duplicis pendentis.

Paulus Cremona, Conſerv.
Petrus Paulus Euſtachius, Conſerv.
Lucius Sabellus, Conſerv.
Sanctes Randaninus, Sac. S. P. Q. R. Scribâ.

IN nomine Domini Amen. Præſenti publicô recognitionis manûs Inſtrumentô, cunctis ubiquè pateat evidenter, & ſit notum, quòd Annô ab ejusdem D. N. Jesu Chriſti ſalutiferâ Nativitate, milleſimô ſeptingenteſimô decimô octavô, Indictione Romanâ undecimâ, die verò 22. Menſis Maji, Pontificatûs autem in eodem Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis D. P. Papæ XI. Annô ejus decimô octavô, in mei &c. retroſcriptus Perilluſtris D. Sanctes Randaninus Fil. q. Joſephi Romanus Sac. S. P. Q. R. Scribâ, mihi &c. cog. ſpontè, ac aliàs omni. med.bus recognovit, & recognoſcit retròſcriptam ejus manum, litteras, &

 cha-

characteres suæ subscriptionis in forma apposit. In Calce introscriptarum litterarum Testimonialium, similique Juramento, tactis &c. asseruit, & affirmavit, omnia, & singula in introscriptis litteris Testinialibus contenta, & expressa, vera fuisse, & esse, tamquàm talia ratificavit, & homologavit, ratificat, & homologat, & sic tactis &c. juravit. super quibus &c. Actum Romæ in officio mei; præsentibus D. Sancte Hippolito q. Narcissi Romano, & D. Antonio Peperonio q. Francisci pariter Romano; Testibus ad præfata vocatis, habitis, specialiter, atque rogatis.

(L.S.) Ego Andreas Tanzius, Illustrissimi, & Excell. Almæ Urbis, ac Caus. Cur. Cap. Prot. de præmissis rogatus, præsens Instrumentum recognitionis scripsi, subscripsi, & publicavi, meôque solitô signô signavi requisitus in fidem.

NOs Comes Paulus Cremona, Petrus Paulus Eustachius, & Lucius Sabellus, ad præsens Almæ Urbis; Inclytique Populi Romani Conservatores. Universis, notum facimus, & attestamur, retroscriptum Dominum Andream Tanzium, de præmissis rogatum, esse talem, qualem se supra facit, nostræque Curiæ Capitolii Notarium publicum, legalem, authenticum, & fide dignum, ejusque tàm publicis, quàm

quàm ſimilibus Scripturis, in judiciô, & extra, ſemper adhibitam fuiſſe, prout Nos per præſentes plenam adhibemus fidem &c. in quor. fidem has præſentes noſtras, noſtrô ſolitô Sigillô, per infraſcriptum noſtrum Secretarium muniri juſſimus, & mandavimus. Datum Romæ ex Palatio noſtræ ſolitæ Reſidentiæ Curiæ Capitolii, Annô à Virginis partu milleſimô ſeptingenteſimô decimô octavô, Indictione undecimâ, die verò 24. Menſis Maji, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ undecimi Anno XVIII.

(L.S.) Ita eſt, Carolus Angelinus, Inclyt. Pop. Romani Secret.

Quaudoquidem igitur D. Joannes Antonius, Jure Sanguinis, Primus, Magnus, perpetuus Magiſter, & Eques Supremi, Sac. Angelici, Conſtantiniani, Heracliani, Auratæ Militiæ Ordinis Equitum S. Georgii, utrámque Nobis hìc paginam facit; de ejus quóque Sacrô Habitu, Officiîs, Honoribûs, Armîs, ac rebûs potiſſimùm Diplomaticis porrò referendum eſt.

Habitus, quô Supremus Angelici Ordinis Conſtantiniani Magnus Magiſter in publ. Solemnibûs Officiîs, Ritibûs, ac Cæremoniîs induitur, eſt, holo-

ſericus Thorax purpureus, holoſericáque Femoralia, & Tibialia purpurea; cum calceamentîs ejusdem coloris: argenteum perbreve Sagum, cum manicîs oblongîs, ab humeris, ad genua protenſum, & holoſericâ Sac. Ordinis *Cruce* purpureâ in pectore ſignatum; Balteus, Enſem, coccineus præcingit. Gallerus, ſemicubitalis, ex ſericô rubeus, & albæ ardeæ criſtâ condecoratus, velut in quatuor Alas aſſurgit; quarum anterior, in fronte, Ven. Chriſti D. N. ſignum ex aurô contextum exhibet: Pallium Holoſericum cæruleum muricè ſubſutum, peramplum, ab humeris ad talos protenditur, collóque funiculîs oblongîs ſericîs aureîs ſubnectitur; adfixâ, ad lævam, Pallio Sac. Ordinis *Cruce* ſericâ, purpureâ, deauratâ:

Et Torques Aureus, gemmîs oppidò exornatus, XV. Segmentîs Orbicularibûs, totidem Divinæ Incarnationis Dominicæ Myſteria deſignantibûs, abſolvitur; Segmenta verò ſingula, cæruleîs in palmulîs ex cauſtô fabrefactis, Chriſti D. N. Monogramma ☧, pretioſîs ornatum lapidibûs, additîs utrínque literîs A & ω exhibent. Segmentum majus medium, ex quô *Crux* Sac. Ordinis; cum Effigie S. Georgii, haſtâ Draconem interficientis, adpenditur, ſertô, oleagineô querceô circumdatum eſt; ſicut hæc Icon adumbrat.

Cùm






Cùm Magnus Magister, propitiô Cæli geniô, Terrarúmque consensu, servatum Inclytæ Claritatis suæ, statum Decus, vindicare sibi, ac vendicare potest; hôc avitô, paternóque Jure Sanguinis, atque præsenti Pontificiorum, Cæsareorúmque Judiciorum perpetuâ fide publicâ, Jure Sanguinis Potestatem obtinet, Auctoritatem, Libertatemque, creandi, & admittendi Constantinianos Auratæ Militiæ Equites, & Milites, sub Invocatione S. Georgii: condendi, aut abrogandi, dispensandi, interpretandiq; leges, super rebus Ordinis: omnes publicos, & privatos actus, inaugurationes, celebritates, ac solemnitates Equestres exercendi: avita Arma Gentilitia, Equestria, militaria, gestandi, adhibendi, concedendi: & aliàs, ob veterem beneficiorum memoriam, mensæ Pontificiæ Jugiter accumbendi; prætereáque Nobiles, Doctores, Poëtas, Notarios, Scribas, & cæteros sublimiores subsellii Viros creandi, laureandi, faciendi, cum facultate multò amplissimâ; quam luculenta Diplomata Pontificia, & Cæsarea, in sæcula tutantur.

Augustæ Gentis Angelæ, Flaviæ, Comnenæ, Lascaræ, Palæologæ vetustissima Arma Gentilitia, quæ quidem ab illustrioribûs aliîs Scriptoribûs, cum Rebûs Palæologorum gestîs, feliciori Stylo, ac filô sunt complexa, perbrevî explanatione describimus, ne sua cuique notio desit: est, Scutum ere-

ctum, bifpalariter: & femel horizontaliter partitum; cujus prima, Area rubea, deferens Auream *Crucem*, cum quatuor Majufculis B Græcis, ejusdem Metalli; quòd eft Digma Conftantinopolitanum. Secunda, itidem rubeâ aureâ, pariter *Cruce* infignita; quæ Conftantiniana dicitur. Tertia, Cærulea, in quâ duæ manus, rubeîs manicîs utrînque è lateribus porrectæ, Imperialem fuftinent Coronam; Teffera eft Familiæ Comnenæ. Quarta, argentea, in quâ manus, è nubibus protenfa, palmam præbet Viro, amictu Cæleftinô, aut Cæruleô, fuper rupibus genuflexo, & Thus adolenti; quod eft Infigne Familiæ Angelæ. Quinta, pariter eft argentea, fuperiore fui parte binam Coronam antiquæ formæ exhibens: Inferiore autem lemnifcum rubeum, tribûs pendulîs Cæruleîs difcriminatum; quod Flaviæ eft Familiæ. Poftrema, rubea, Auream exhibens Aquilam, bicipitem, Coronatam, alîs, caudâ, cruribúfque expansîs; pro Familia Lafcara. Scutum denique infitum, eft Familiæ Palæologæ. Scutum Grandius, redimitum Coronâ clausâ, quafi Regiâ, à fronte inter gemmas oftentans Myfticam *Crucem Conftantinianam*. Et demùm hoc Scutum grandius circumductum Torque Angelici Ordinis Conftantiniani S. Georgii, fuper pectus Aquilæ Scutariæ; fuperimpofitâ adhuc Coronâ Imperialî, infra quam fulget dicta *Crux* Conftan-



Stemma
Augustæ Familiæ
Angelæ Flauiæ
Lascaris
Comnenæ
Palæologæ

ſtantiniana. Quæ omnia circumtegit, Pallium Hermionicum; ſicut hoc Schemate luſtrantur.

Principes DEO curæ eſſe, eorúmq; Sortes: & omnibus innatam fuiſſe quandam Majeſtatis Venerationem, antiquiſſima qúæque tempora docuerunt; tùm etiam illi, qui Magnos quoſcúnque Viros, Principes, aut quôvis aliô fortunæ Arbitriô dejectos, Æquitatis, ac Pietatis, vel ſi mavis, Charitatis officiô complexi ſunt; exiſtimantes, iniquum hoc eſſe, digniores Familias, licèt aliàs, non tamen à Jure deſertas, immitî temporum Ingeniô inverti, obliterari, demúmque, &, tanquàm ludo datas, interire.

Poſtquàm ſatiſcente ſuô pondere Imperiô, Res Orientales, & immerita Gens Aug. Angela, Flavia, Comnena, Laſcara, Palæologa, ex quâ LXXI. Imp. orti, tàm Latini, quàm Græci, per DCCLXIV. annos, utrúmque, vel altèrum Imperium obtinuêre, An. MCCCCLIII. Imperante Conſtantinô XV. ab Mahumetis II. debacchantis impetû everſa, Principatû, ac Provinciîs exuta, Byzantiô expulſa, atquè decumanîs procellîs diù, multúmque jactata, alienâ fortunâ ſuæ Injuriæ reparare conaretur; datô Principibus documentô: maximæ cuiſque ſorti non eſſe credendum; *Aloyſius Blancus Palæologus*, Emmanuel. Fil. Cæſarum Conſtantinopolitanorum, Epydauri, & Corinthi Dominus, Magnus Peloponneſi, quem vocant Deſpota, hoc exilium ſolari, extremámque Gen-

Gentis ſuæ olim Regnatricis fortunam ulciſci decrevit.

Cùm enim, Principes ad Principum Aras confugere, & Aſylum, Tutelam, ac Præſidium implorare, ſemper fuerit ratum; & ille ad AUSTRIACORUM Clementiam (quæ illis propriâ) CÆSARUM, velut ad Tutelare Numen acceſſit: pro Palaeologô, adeóque Magnô Angelici Ordinis Conſtantiniani Magiſtrô, agnoſci, haberi, ac confirmari petiit; átque à D. FRIDERICO III. Romanorum Imp. ſemper Auguſto, cui *Conſtantini XV.* ult. Graecorum Imp. & Urbis Byzantinae excidium ob oculos, animóſque verſabatur, tanquàm Palaeologorum Proximus, etiam talis, ac pro tali agnitus, habitus, & confirmatus eſt; ut, ſi minùs alia, ſaltem Veneranda talis, tantaeque Gentis, tot Teſtimoniîs, ac monumentîs inclytae, Memoria ſervaretur; ut igitur haberent, qui mala paſſi, quô jugiter admonerentur: &, qui non paſſi fuiſſent haec damna, quô ſalubriter inſtruerentur; Supremô Caeſaris Judiciô, átque luculentô Clementiae Teſtimoniô, conſtantíque Literarum tenore, Sacra Palaeologorum Jura, traducendô Sacrilegorum facinore profanata, in eodem, quem antè memoravimus, *Aloyſio Blanco:* nec non in *Victore Blanco*, & *Theodoro Fratribus*, in perpetuum ſervata ſunt; Lege ſui Diplomatis, quod Indulgentiſſimus Imperator, & ſuô, & MAXIMILIANI I.

NI I. Romanorum REGIS, & Principum Electorum, caeterorúmque Procerum arbitratû, tamquàm Legem dedit.

FRIDERICUS TERTIUS

Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus &c. &c.

Præclaro Comiti Nobis dilecto Aloysio Blanco Palæologo, Epidauri, & Corinthi Domino, ex Genere Imp. Flaviorum Augustorum Romanorum, moxque Constantinopolitanorum orto, Jureque Successionis, & hæreditariæ actionis legitimo Principi, ac Magno Despotæ Peloponnesi.

Gratiam Nostram Cæsaream, & omne Bonum.

INter majora, quæ mentis acie, animóque totô, & semper attentô spectanda sunt ab iis omnibus, qui à DEO Opt. Max. ut Nos Divinâ Providentiâ sumus, collocantur in eminentissimo Imperii Solio, Virtus præcipuè, fortunaque illustrium Heroum ante oculos habenda est. Quamquàm enim perpetuò Sereniss. Imp. ad totius humani generis decus, & ornamentum respicere debent, & Auctoritate, quâ summâ inter mortales præstant, possunt, quoscunque volunt, gradibus, titulis, privilegiîs, honoribus, atquè adeò dignitatibus decorare; Hæc tamen non omnibus facilè sunt impartienda, sed, cui tribuan-

tur, maximè animadvertendum. Sin autem à Nobis eſt quiſpiam ultrò Noſtris beneficiîs afficiendus, ille certè præ cæteris dignus habetur, qui perantiquæ ſuæ Originis ſplendore, aut ſingularis alicujus virtutis lumine eluceſcit.

Sed Tu prænominate Comes Aloyſi Blanco-Palæologe, illuſtriſſ. Major. tuorum Nobilitate, eâque plurium egregiarum tuarum Virtutum gloriâ fulges, ut ferè nihil, aut valdè parùm novis Perſonæ, Proſapiæve tuæ ornamentîs, ac Privilegiîs videaris indigere. Emmanuel Petrus enim Palæologus, cognomento Blancus, Pater tuus, quem Nos inter chariores noſtros habuimus amicos, Dux fuit, & Comes Epidauri, & Corinthi, Dynaſtesque, Macedoniæ, & Valachiæ, qui Venetias ex Aulâ Sereniſſ. Joannis II. Regis Cypri profectus, Eliſabetham Pollum, ſummô locô, atquè adeò ſummô Patre natam, Cæſareis noſtris auſpiciîs Uxorem duxit, ortus ex Theodoro Palæologo Porphyrogenito, ſtrenuo, fortiſſimoq; Peloponneſi Principe, & Filio quartô Emmanuelis Imp. XCVIII. Orientis, duorumque Cæſarum Fratre; cujus Mater Leucoſia (vulgò Blanca) filia fuit Rayneri Principis Corinthi, Thebarum, & Ahenarum; & Nos pro Palæologa ipſius, tuáque Auguſta Progenie, annô decimô ſextô ab excidio Byzantii nondùm expletô, penè peregrini, ad Paulum II. Pontificem Max. devenimus, memores adhuc vaſtatæ illius

lius à Mahomete Turca præclarissimæ Urbis; cujus Imperator CI. & ultimus fuit Constantinus XV. Palæologus, supradicti Theodori Avi tui Paterni Frater Germanus. Igitur nullis præeminentiîs, favoribûs, indultîs, Auctoritatibûs, luminibûsve Sereniss. Tuæ Domui, aut tibi, vel posteris tuis est opus. Nam si non Regnô, amplissimôque statu, quô tui Progenitores, miserandâ tot illustrium Græcorum internecione spoliati sunt, hæreditaria saltem descendentes tui omnes, & antiquissimâ suâ semper (ut æquum est) gloriabuntur, & gaudebunt facultate: posse scilicet successivè quoscumque, ubique locorum, gradibus, titulis, prærogativis, honoribûsque insignire.

Auctoritas est enim suprema Tibi, quæ continuata, & diffusa in Majores tuos redundavit, quæque unâ cum aliîs, quibûs affluis facultatibûs, perpetua manabit in filios, Nepotes, hæredes, successoresque tuos, generis cujuscumque, inchoata divinô favore ab Inclytô Constantinô Maximô, aucta à Leone Imo; & ab Heraclio Imp. confirmata à Michaële VIII. Palæologo, hoc est, à tuis ipsis Progenitoribus, atquè adeò longiùs provecta à Calisto III. Pio II. Sixto IV. & Innocentio VIII. summis Romanis Pontificibus, creandi nimirùm, & admittendi, seu creari, & admitti faciendi Sanctiss. Crucis signo Equites sùb Titulo S. Georgii, & Regulâ S. Basilii, Angelicos

Heraclianos, & Conſtantinianos, cum facultate ferendi Crucem rubeam ſericam aurô circumdatam, in pectore, & ad latus ſiniſtrum, cum Enſe deaurato, geſtandiquè Aquilam Imperialem bicipitem Coronatam Auream in Campô rubrô, & unâ cum armis, inſigniiſque Domorum Gentilitiîs inſerendi, atquè adeò illa utendi in quibuſcunque ſigillis, vaſis, ſepulchris, ac omni tempore, & in quolibet licitô modô, cum omnibus, & ſingulis auctoritatibus, honoribus, præeminentiîs, Indultîs, gratiîs, & exemptionibus, quæ non ſolùm continentur in Statutis, & Capitulis ipſius Militiæ, ſed etiam, quæ Majores in ſimilibus dari, concedique poſſent.

Quam quidem tuam Auctoritatem, ut aliàs, ſic modò promulgamus, & atteſtamur; ſcientes Te, tuosque liberos, aut jàm natos, aut naſcituros, & poſteros omnes, poſſe eandem ſemper ad libitum, & placitum ſuum in alios qùoq; transferre: Proximior enim es Tu jure Sanguinis, Imperiali ultimæ Palæologorum Coronæ, propterea Primus, & Magnus Ordinis S. Georgii Eques, & Magiſter.

Sed aliâ etiam Equeſtri dignitate, potes ex noviſſimis prædictorum Summorum Pontificum, & Sereniſſ. Regum Cypri Diplomatibûs, quosvis condecorare. Et milites, Equitesve omnes à Te, tuisque Deſcendentibus militari Ordine, & cingulô donati, plenam Poteſtatem meritò habere debent, & debe-

debebunt, pannîs, veſtibûs, & torquibûs utendi, Equeſtriſque Ordinis locum, & præeminentiam, tenendi, & cæteros alios actus Equeſtres ubiquè locorum faciendi.

Nihilominus Nos, quos quinquaginta abhinc annos, ſummo rerum Opifici placuit, ad tàm altum Occidentalis Imperii faſtigium evexiſſe; cogitantes, cupientesque uberiora reddere Virtutis præmia, & juribus ſuffragari tuis, quæ Nobis arbitramur à recolendâ mem. prô Conſtantinô ultimô Imperatore fuiſſe commendata: adjungimus, ſtatuimus, & motu propriô concedimus, & largimur, quòd iidem Milites, Equitesve tui, aut à tuis poſteris creandi, omnibus, & ſingulis illis juribus, privilegiîs, & prærogativis à modò potiantur, & gaudeant, quibûs utuntur, & perfruuntur alii Milites, ſeu Equites verbô, & manu noſtrâ immediatè creati; ſintque tales, quales Nos poſt impoſitum Nobis Diadema, & de more indutîs veſtibûs, aliîsque ornamentis Divi Alberti II. Prædeceſſoris noſtri, ac ſedentes ſuper Cathedram propriam, ictû Enſis, facimus, & inſtituimus.

Jurabunt autem anteà, quòd Nobis erunt, & Sacro Romano Imperio, noſtriſque omnibus legitimis ſucceſſoribus, ſemper fideles, nec unquàm in Conſilio, tractatû, & conventione, ubi noſtrum, ac Sac. Rom. Imperii damnum, aut periculum ageretur, intererunt; quin imò incommoda, & detrimen-

ta avertere conabuntur, Ecclesias, Res sacras, Religionem, orphanos, pupillos, viduas, oppressos, jacentes, personasque omnes miserabiles tuebuntur, & defendent.

Quoniam verò Tu, supradictô jure hæreditariô, & ex Pontificiîs Privilegiîs, præsertim ex Diagrammate Emmanuelis Palæologi Imp. XCVIII. memorati Proavi tui, in Aulâ Imperiali Constantinopolitanâ idib. Martii MIDXV. creas, & facis, Tuô, ac ipsius vice, & nomine Barones, Comitesque Sacri Palatii Apostolici, ac Aulæ Lateranensis, & Imperialis Consistorii; Nos insuper insigni hôc munere peculiariter Personam, atquè adeò cunctam Posteritatem tuam prosequentes, animô, ut supra benè deliberatô, & ex certâ scientiâ, spontè, & de culminis Cæsarei plenitudine, ac summâ Potestate, sanô quôque Serenissimi Maximiliani Romanorum Regis Filii nostri, nostrique Imperii Consortis accedente consiliô, nec non communi Principum, ac Procerum nostrorum, & Sacri Imperii fidelium dilectorum approbatione, damus per præsentes, concedimus, atquè impartimur plenam, & omnimodam Potestatem, & ampliss. facultatem, ut Nostrô simul Nomine, locô, & vice, alios Comites Sacri Lateranensis Palatii, Aulæque Apostolicæ, & Curiæ Imperialis, nostrique Consistorii, Tu, ac Illust. & Rev. Fr. Victor Blancus Palæologus, Eques Hierosolymit. & Protonot. Apostoli-

ſtolicus, nec non Illuſtr. Com. Theodorus, Fratres tui Germani, & filii veſtri, veſtrorumque filiorum omnes deſcendentes in perpetuum, de tempore in tempus poſſitis, & valeatis facere, & creare.

Qui Comites non vulgares, & gregarii, ſed præ cæteris eximii habeantur, & quibuſcúnque aliîs Comitibus Palatinis dignitate aliquâ reſtitutis, vel officiô, aut prærogativâ inſignitis, ſeu donatis, præferantur, noſtrósque, eſſe noſtrósque omnibus cujuscumque excellentiæ, tituli, ſtatûs, gradûs, ordinis, & conditionis nominari, haberi, & reputari mandamus, & volumus, eandemque facultatem, & Poteſtatem habeant illi, in creandis Notariis, legitimandis ſpuriîs, promovendis Doctoribus, quam Nobiliores, præſtantioresquè Comites, noſtriquè Proceres habere conſueverunt.

Poſſintque Auratæ Militiæ (prout Tibi, prudentiæque tuæ, aut Poſteris tuis videbitur) Equites creare, & utriúsque, vel alterutrius Aquilæ Imperialis adjectione, inſignia ſuæ Familiæ illuſtrare, omnibus illis gratiîs, privilegiîs, exemptionibus, & honoribus ſemper frui, quibûs perfruuntur, & gaudent, aut perfruerentur, & gauderent de conſuetudine, vel de jure, quicunque à Nobis ipſis unicè, & ſingulariter creantur, & eliguntur, aut altiori aliquâ eminentiorique prærogativâ poſſent creari, & eligi.

Quæ

Quæ omnia, & ſingula, eò cæteris tuis Privilegiîs addimus, ac Tibi, Poſterisque tuis qualibuſcunq; liberaliter concedimus, & largimur, ut denuò, vel à Nobis, vel à ſucceſſoribus noſtris infringi, infirmari, revocari, ſuſpendique nullô unquàm tempore, debeant, & poſſint. Declarantes expreſsè, & volentes, Cæſaream hanc noſtram Gratiam, conceſſionem, vel Indultum, aut Privilegium, pro præcipuâ, & unicâ noſtrâ Sanctione, & Lege haberi, ſucceſſoribus noſtris propoſitâ, & commendatâ, tanquàm ſingulare Auctoritatis, Voluntatisque noſtræ teſtimonium, & exemplum, nullique clauſulæ derogativæ generali, vel ſpeciali, in futurum ſit obnoxia, ſed tantâ ſemper firmitate, atquè adeò robore maneat, & vigeat, ut ſi neceſſitatis vim afferret; hocque Privilegium in corpore Juris jám eſſet clauſum, & ipsô Jure, & conſuetudine conceſſum.

Quod noſtri ſucceſſores omnes, nunquàm violantes, ſed ab iîsdem, quibûs Nos ducti rationibus, Proſapiæ, Amplitudinisque mox recordati Palæologorum, potiùs aliquid adjicient quàm adiment favorabili huic noſtro ſpontaneo, & ſpeciali Privilegio.

Atqui Tu interim ex Te, prout exiſtente in tertio gradu è Cæſarum Poſteris, & eô jure ſimillimam habente Poteſtatem creandi, promovendi, & in pluribus accedendi ad Regium Imperiale munus, proſequeris

ſequeris inſtituere, promovere, & Doctoratû inſignire, quos in utroquè Jure, ſive altero Jurium, Cæſareô, vel Pontificiô, aut in Theologia, Philoſophia, vel Medicâ facultate diù verſatos, exercitatosque reperieris: adhibitis ad id, in cujuslibet eorum promotione, Doctoribus eximiîs de profeſſione tribûs, vel ſaltem duobûs, qui priùs promovendum rigoroſo ſubjiciant examini. Et ei, cùm idoneum, ſufficientemquè invenerint, & approbaverint, Tû propriâ, & Noſtrâ ſimul vice, quemadmodùm Tibi, ac præfatis Illuſtriſſ. tuis Fratribus, & liberis, ac Poſteris veſtris concedimus,. Magiſterii inſignia præbebis.

Juratîsque jurandîs, ut moris eſt, Biretum, ſeu Diadema Doctorale, & Magiſtrale, veluti Coronam, Capiti ejusdem promovendi ante te genuflexi imponens, tùm ipſum annulô aureô, nomine Scientiæ, quæ omnium Regina eſt, deſponſabis. Deinde diſciplinarum librum aperiens, & claudens illi trades, ut poſſit in futurum proprias ſcientias, aperiendô, & aliorum pro libitu claudendô legere, docere, gloſſare, interpretari, ac reliquos Doctorales actus perficere.

Poſtremò Pacis oſculum Magiſtrali, & Doctorali cum benedictione feliciter eidem dabis, ut ſic laureatus, & inſignitus queat, & valeat impoſterùm uti, potiri, & gaudere omnibus, & ſingulis privile-

 giîs,

giîs, prærogativis, & libertatibus, immunitatibus, gratiîs, atquè honoribus, quibûs cæteri Doctores in Friburgensi nostrô Gymnasiô, vel in Patavinâ, Bononiensi, Papiensi, Pragensi, Parisiensi, aut in aliâ qualibet publicâ, & celebriori studiorum Universitate, vel Academiâ, Lauream adepti, usi sunt, & potiti, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, & possunt de Jure, sive de approbatâ consuetudine, ubiquè Terrarum, & locorum.

Similiter, atque ad Baccalaureatum, ac Magisterii, Doctoratûsve gradus in omni arte, & licitâ facultate promovebis, & deputabis, Apostolicâ & Imperiali Auctoritate, quoscunque id potuisse mereri ratus fueris, cum omnibus exemptionibus, & honoribus, etiam publicis, & generalibus, impertiri solitis cuicumque personæ, in quocunque Collegio, & Gymnasio: eosque Baccalaureos, Magistros, Doctoresque esse, ac prô talibus haberi, æstimarique jubebis.

In universos autem, & singulos, qui quidem habiles, & idoneos sese præbuerint, conferes Notariatûs, Judicatûsque ordinarii Officium, atque ipsos, & quemlibet ipsorum, auctoritatibus tàm Imperiali, ut præfertur, quàm Apostolicâ, per Calamum, Atramentarium, & Pugillares, prout moris est, de hujusmodi, officiis investire, creabis, & constitues, aut creari, & constitui mandabis Tabelliones, seu Notarios

rios publicos, nec non Judices Chartularios Ordinarios, & delegatos, receptô tamen ſemper ab illis, aut illorum nomine, à dignâ aliquâ perſonâ fidelitatis juramentô; qui Notarii, Tabelliones, & Judices Ordinarii, & Delegati, aut à Te, aut à Deſcendentibus tuis pronunciati, poſſint per totum Terrarum, præſertim Romani Imperii, Orbem exarrare, condere, ſcribere, & publicare, quaſcunque ſcripturas, & quælibet inſtrumenta, acta Judiciaria, Decreta, Teſtamenta, & omnes codicillos, & ultimas Voluntates.

Laureabis Poëtas, & quas aliàs volueris Perſonas, juxtâ qualitatem conditionis, plùs minusvè, gradibus, faſcibus, & titulis exornabis. Idcircò quos, ex legitimô matrimoniô procreatos, claritudo generis illuſtrat, ſi Nobiliores aliquo tuô Privilegiô reddes, pro talibus, ab univerſis, & ſingulis, cujuſcumque conditionis, ordinis, præeminentiæ, ſtatûs, & dignitatis, etiam Regalis, & Ducalis, haberi, dici, ſcribi, & nominari debebunt, ubiquè locorum, & Terrarum, in judiciô quocumque, & extra, in Rebus ſpiritualibus, & temporalibus.

Quos verò natalium defectus, aut Parentum obſcuritatem patientes, Virtus tamen, quæ Nobilitatem gignit, commendat, ſi in Noſtri, Sac. Romani Imperii Nobiles, Spectabiles, Illuſtresquè ordinabis, ſimiliter, atquè honoribus, & dignitatibus, gratiîs,

L 2 &

& indultis gaudebunt , & fruentur , quibûs cæteri Noſtri, Romaniquè Imperii, & quorumcumque aliorum , & Terrarum Nobiles, Spectabiles, & Illuſtres gaudent, & fruuntur.

Ergò ad priſtina , & legitima natalia reſtitues omnes, & quoſcumque, vel Nobiles, imò, & Illuſtriſſ. Principum, & Comitum filios, ſeu Nepotes naturales, ſpurios, manſeres, nothos, incæſtuoſos, adulterinos, nefarios, maſculos, ſive fæminas, quocumque nomine cenſeantur, tàm præſentes, quam abſentes, viventibus, aut mortuis, conſentientibus, ac etiam abnuentibus Parentibus;

Levandô, & liberandô ipſos omni maculâ, & defectu geniture, ut tales habeantur, ac ſi ex vero, legitimôque matrimoniô concepti, procreati, natique eſſent.

Valeantque ſemper, & in perpetuum admitti ad omnes honores, dignitates, comitatus, munera, vaſſalagia, feuda, ſubſtitutiones, præeminentias, Privilegia, Beneficia, atquè adeò municipalium Statutorum gratias, electiones, gradus, ſtatus, ac ad omnes, & ſingulos alios ſimiles, vel diſſimiles, ac Majores actus; Nec non, unà cum filiis legitimis, & naturalibus, ad paternas, maternas, avitas, extraneasque bonorum ſucceſſiones, & hæreditates, vel ex Teſtamentô, vel ab inteſtatô, dummodò tamen, quos legitimaveris, in legitimatione tenuiores fortè partes ſibi

ſibi dandas, aut eos aliter ſuccedere, vel non ſuccedere haud decreveris, ſuper quâ re, Tu, filiique tui, veſtrique omnes Deſcendentes, erunt ſemper in Auctoritate, & Libertate, quidquid magis, & meliús expedierit, peragendi, & ſint de Agnatione, Familia, Domo, & Stirpe Genitorum ſuorum, ac Arma, & Inſignia eorum geſtare poſſint, & eis uti ad arbitrum, ac etiam efficiantur Nobiles, ſeu Illuſtres, ſi eorum Parentes, locô, & Avis claruerint, aut Tu id dicere, expedireque fueris arbitratus.

Filios adhuc familias cujusque ætatis, vel in infantia conſtitutos emancipabis, & à Patria Poteſtate liberabis, genitoribus haud invitis, & præſentibus, ſive abſentibus, ita ut horum quoque, aut illorum nomine Procurator, nunciuſve aliquis ad hoc ſufficiat. Indulgebis, & concedes, poſſe quempiam ſibi filium, vel filios adoptare coram Judice ordinariô, vel delegatô planè cognoſcente, quæ in hujuſmodi Adoptione, arrogationeque jura Romana requirunt.

Servos manumittes manumiſſionibus quibuſcumque, & ad famam reſtitues infames, tàm juris, quàm facti, omnem turpitudinis notam ab eis abſtergendô, tàm irrogatam, quàm quomodocumque irrogandam, adeò, ut deinceps ad omnes, & ſingulos actus legitimos, non modò judiciales, apti, & idonei habeantur, & promoveri poſſint.

 Ar-

Arma dabis opportunè, & Insignia carentibus, aut nascentibus Domibus, cognominaque impones, necdum novis, aut extraneis, verùm domesticis quoque, & notis Personis. Et quas tuas super hoc, & super omnibus præmissis fieri literas mandabis, ac potiùs quæcunque concedes, & exarari facies Privilegia, & Diplomata, appensione semper munies (ut adsoles) Sigilli tui aureâ, argenteâ, vel plumbeâ, quæ facultas in Te, Posteris tuis, tantô clarior extabit, quantò Tibi, illisque erit in dies antiquior potestas, libertasque, etiam imprimendi monetas aureas, argenteas, vel alias, prout vobis libuerit.

Verùm alia tandem plurima tùm Auctoritate propriâ, tùm ex Parentibus tuis, Imperialibus, Apostolicisque literis, poteris gratiosè, & benignè facere: quibus scilicet tantô alacriori, libentiorique animô Nos suffragamur, indulgemus, & assentimur, quantô plura, & Majora, altioraque sunt.

Propterea cùm omnia vicissitudinem, finemque habeant, & ut Constantinopolitanum Imperium, sic ipsa quoquè Imperialis Tua Palæologorum Domus, tuorumque Successorum legitima series, (quam tamen DEUS omnipotens perpetuò tueatur,) possit tandem aliquando deficere: Nos tempori, naturæque necessitati reparare consulentes, quia nunquàm tàm clarum tuæ Familiæ Nomen, memoriaque obscuretur; Damus postremò, concedimus, & volumus,

mus, quòd, quicumque ultimus, & cujuſcumque generis, & ſexûs, ex tua Progenie fuerit, poſſit, ac valeat, non modò per adoptionem, aut electionem, ſive inter vivos donationem, & conceſſionem, ſed ex ſuô Teſtamentô quoquè, Cæſareum hoc noſtrum Privilegium, omneſque incluſas Auctoritates, Generis Inſignia, ac ipſum Palæologorum Cognomen, conditionibus, vel ſine conditionibus, quibuſcumque voluerit, tàm conſanguineo, aut affini, quàm etiam extraneo, & longinquo relinquere, largiri, addere, concedere, mittere, & dare; qui beneficiô, gratiâque hujuſmodi decoratus ſuccedat in omnibus prædictis, ac talis immediatè per ſe, ſuoſque filios, atque adeò omnes Poſteros, & Succeſſores conſtituatur, qualis hâc eſſet in re, ſi idem omnibus juribus filius, hæres, ipſiusque conſtituentis Legitimus, ac naturalis Succeſſor haberetur.

Itáque Tibi, filiîs tuis, & eorum ſucceſſoribus univerſis, præmiſſa omnia, & his quæque ſimilia, Auctoritate noſtrâ Cæſareâ, ac motu propriô, ac ex certâ, plenâ, & indubitatâ ſcientiâ ampliamus, confirmamus, approbamus, ac præſentis ſcripti declaratione, & Patrociniô communimus, non obſtantibus in contrarium quibuſcumque Legibus, Conſuetudinibus, Conſtitutionibus, Canonibus, Statutis, decretis, reformationibus, reſcriptis, privilegiîs, beneficiîs, exemptionibus, gratiîs, & prærogativis, quocum-

cumque nomine censeantur, & cujuscumque mentionis, & tenoris, tàm factis, quàm faciendis, aut per Nos, aut per Successores nostros, vel quoscumque Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Vice-Comites, Præfectos, Consules, Universitates, vel alios Dominos, seu Potestates, aut Regentes, seu Civitatem, vel ejus Rectores, aut Officiales, generis cujuscumque, quibus omnibus, & singulis derogamus, & derogatum esse volumus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc nostram confirmationem, approbationem, communitionem, additionem, largitionem, concessionem, Indultum, Immunitatem, Privilegium, intentionem, pronunciationem, Declarationem, atquè adeò Derogationis, Voluntatis, & specialis Gratiæ paginam infringere, aut quomodolibet violare. Si quis enim temerariô ausû attentare hoc præsumpserit, Nostram, & Sac. Imperii gravissimam indignationem, ac pœnam Centum Marcarum auri purissimi toties, quoties contra factum fuerit, irremissibiliter, & omni spe veniæ sublatâ, se noverit ipsô factô incursurum, quarum medietatem Imperialis Nostri fisci ærario, reliquam verò partem, injuriam passorum, vel passi usibus, decernimus applicandam, & haram testimonium literarum, appensione Sigilli Cæsareæ Nostræ Majestatis, atque adeò Nostra subscriptione roboratum. Datum in Aula Nostri Imperialis Palatii Lintzii Austriæ, pridie Id.

Octo-

Octobris MCCCCLXXXXI. Indictione IX. Regnorum autem Nostrorum Anno LI. labentibus.

FRIDERICUS CÆSAR,

Mar. Archiepisc. Moguntinus Archicancel.

P. Teld.

Ad Mandatum Sac. Caes. Majestatis proprium
Zac. Ros Vuimpbel.

Appensi Cæsarei Sigilli locus.

Supradictam Copiam Diplomatis Fel. rec. Friderici III. Romanor. Imperatoris, in Archivio secreto Excell. Cam. Capitolii Inclyti Populi Romani existentis, sub meâ custodiâ servati, de Mandato Celsissimi Domini Comitis Joannis Antonii Lascaris, de verbô ad verbum, omni cum diligentiâ transumptavi, & cum supradicto Diplomate concordare inveni, salvô semper &c. in quorum fidem &c. ex Capitolio hac die 14. Januarii 1719.

(L.S.) Ita est, Sanctes Randaninus S.P.Q.R.
Scriba &c.

IN Nomine Domini Amen. Præsenti publicô Instrumentô cunctis ubiquè pateat evidenter, & sit notum, quòd annô ab ejusdem D. Nostri JESU Christi salutiferâ Nativitate Millesimô septingentesimô decimô nonô, Indictione Romanâ duodecimâ, Pontificatûs autem in eod. Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Pap. XI. annô ejus decimô nonô, In mei. Perillust. D. Sanctes Randaninus Sac. Sen. P. Q. R. Scriba, fil. q. Josephi, Romanus mihi &c. cogn. spontè, ac aliàs omni. med. recognovit, & recognoscit supra scriptam ejus manum, litteras, & Characteres etiam suæ subscriptionis in forma; similique Juramentô, tactis, asseruit, & affirmavit, omnia, & singula in intropræfata Attestatione

M tran-

transſumptâ, contenta, & expreſſa, vera fuiſſe,&eſſe, & tanquàm talia ratificavit, & ſic tactis, Juravit. Super quibus &c. Actum Romæ in officiô mei &c. Præſentibus D. Juliô Bubani, fil. D. Antonii Rauennaten. & D. Sancto Hippolyti q. Narciſſi Romanô teſtib. &c.

(L.S.) Ego Andreas Tanzius Cauſ. Cur. Cap. Prot. de præmiſſis rog. præſens Inſtrumentum ſcripſi, ſubſcripſi, & publicavi, meôque ſolitô ſignô munivi requiſitus in fidem.

(L.S.) Ita eſt, Carolus Angelinus J. P, Rom. Secret.

MAXIMILIANUS II. Fel. Mem. Imperator, eâdem Æquanimitate Auſtriacâ, atque ſublimi curâ, inconcuſsáque Judicii Conſtantiâ, Venerabili Divi *Friderici* placito, velut utráque manû ſubſcripſit; ne Palæologorum Aug. Gentis legitima Soboles, quæ manifeſtô Sanguinis Jure, reliquis Terrarum Principibus quodammodò propinqua eſt, ſubjectis inclinata moribus, & avitæ Dignitatis, & procuratæ per Angelicum Ordinem Conſtantinianum, ac deinceps (faxit DEUS feliciter!) procurandæ Salutaris Gloriæ fructu, indignô planè piaculô, fraudaretur; quam bonam, ratam, gratam, *Maximiliani* magnanimam mentem, in teſtatiſſimô, quod ſequitur, Diplomate Cæſareô, tanquàm in ſpeculô, vides.

MAXI-

MAXIMILIANUS SECUNDUS,

Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus &c.

Nobili Nostro, & Sacri Imperii Fideli dilecto, Aloysio Blanco Palæologo, ex Constantinopolitanis Impp. oriundo, Militiæ S. Georgii Magno Equiti, Epidauri, Thebarum, Athenarum, & Corinthi Legitimo Comiti.

Gratiam Nostram Cæsaream, & omne bonum.

QUi Gentium Regimen hoc in Orbe Terrarum sunt à summô, æternôque universi humani generis Dominatore consecuti, illi tantò propiùs ad Divinam illam supremam Majestatem videntur accedere, quantò plura, uberioraque beneficia in cunctos mortales, præsertim in optimos, laudatissimosque Viros, conferunt. Sicque Sereniss. Prædecessores Nostri, præcipuam hanc alienæ Virtutis, Nobilitatisquè rationem favorabiliter habuerunt. Nos inprimis, & alius quisque populorum gubernacula tenens, vestigia debemus eorum insequi, exemplaquè, studiosè, certatimquè imitari. Neque solùm expedit, dignitates, gradus, honores, titulos, & Privilegia, quæ illi contulerunt, omnia Nos promptè, & gratiosè confirmare, sed etiam prioribus gratiîs, gratias liberaliter addere. Itaquè cùm Tu, Dilecte Comes Aloysi, cujus Nobilis, Egregiusque Pater,

Comes Hieronymus Blancus Palæologus, Sereniss. Ferdinando &c. Cæs. Genitori Nostro, Nobisque, & Nostris Proceribus se semper dignum suis Majoribus, atquè adeò Inclyti Emmanuelis II. Constantinopolit. Imp.^r digniorem Abnepotem præbuit, merearis, tùm ob perantiqui tui Generis splendorem, tùm ob eximiarum tuarum Virtutum gloriam, ut quotidiemagis, præmiîs, favoribus, officiîs, præconiîs, nostrisquè monumentis, ac Cæsareis Privilegiîs, afficiaris; Nos propterea, motû propriô, & spontaneô, benè deliberatô, sanô quoquè accedente Sereniss. Rudolphi Romanorum Regis Filii Nostri, Consiliô, dequè Cæsareâ summâ Potestate, volentes Illustriss. Familiam tuam, filiosque tuos, Nepotes, hæredes, Successoresquè omnes in perpetuum, masculos, fœminas, generis cujuscumque, recentioribus gratiîs, amplioribusq; Beneficiis decorare, omnes Auctoritates, actiones, Jurisdictiones, concessiones, Feuda, honores, Dignitates, Indulta, exemptiones, & quæcumquè Privilegia à Serenissimis Bizantii Imperatoribus, nec non à Prædecessoribus Nostris, præsertim à recol. mem. Divô Fridericô III. Lintzi Anno MIDLXXXXI. concessa olim C. Aloysio Blanco Palæologo, Magno Peloponnesi Despotæ, ejúsque Posteris, & descendentibus omnibus, Generis cujuscumque, confirmamus, approbamus, laudamus, renovamus, communimus, & sancimus; Te igitur, filios-

filiosque tuos tàm natos, quàm nascituros, præsenti Indultô iterùm constituimus, facimus, & creamus, Proceres, Comitesque Imperiales Palatinos, ac Sacri Palatii Apostolici, Aulæque nostræ Cæsareæ, Palatinâ Dignitate, & Comitatû perpetuò insignimus. Et reipsa, & cum effectu, uti, & gaudere Vos posse volumus, & mandamus, universis, & singulis Privilegiîs, juribus, immunitatibus, fructibus, exemptionibus, honoribus, consuetudinibus, favoribus, tributis, ac præeminentiîs, quibus Sacri Palatii, Imperialisque Consistorii Comites nostri nobiliores, præstantioresque Proceres, de Jure, vel de more usi sunt, utuntur, fruuntur, vel in futurum fruentur. Quin imò, cùm quàm plurimis hujusmodi Comitatûs Dignitas, possit esse indulta à Prædecessoribus nostris, statuimus, & decernimus, ut Tu, filiique tui, & omnes vestri Descendentes, quiquè à vobis, aut ab illis, hâc Comitatûs prærogativâ (tantùm enim impartiri potestis, & Nos quoquè, ut perpetuò, singulariterquè possitis, volumus) donabuntur: sitis, & sint omnes, vigore præsentis nostri Privilegii, cæteris illustriores, eminentiores, quibuscumquè aliîs nostris Comitibus Palatinis, ubiquè, & semper præferendi. Similiter etiam, aut tuos Constantinianos tituli S. Georgii, aut nostros Auratæ Militiæ Equites, nec non Barones, Cives, Doctores, in quibuscumque facultatibus, Baccalaureos, Magistros, Notarios, Ta-

 bellio-

belliones, Judices Ordinarios, ac Poëtas, quorum omnium laureandorum, & creandorum eſt Tibi, Poſteritatique tuæ, hæreditaria, legitima, & antiqua, tùm à Summis Romanor. Pontificibus, tùm ab Occidentalibus Impp. Prædeceſſoribus noſtris: tùm deniquè, modò à Nobis ipſis, confirmata Facultas, & admiſſa Auctoritas; declaramus hoſce, à Te, aut à filiîs tuis, aut à veſtris deſcendentibus, uſquè ád ultimum, creatos, & reſtitutos, eſſe omnes præponendos, quibuſcumque aliîs, ſimili Equeſtri Dignitate, aut officiô, munere, gradu, prærogativâ, titulovè decoratis, tàm Noſtris, quàm Noſtrorum Succeſſorum, quibuſcumque præſtantioribus, dignioribuſq; Proceribus, & Comitibus Palatinis. Quos verò legitimaveritis ſpurios, incæſtuoſos, ſacrilegos, Adulterinos, Nefarios, Manſeres, Nothos, Maſculos, ſive Fæminas, quocumquè nomine cenſeantur, & quoſcumque natalium defectus patientes, etiam ſi ipſi legitimandi fuerint infantes, vel furioſi, aut mente capti, & citatîs, & non citatîs illîs, ad quos hæreditas, feudum, vel jus aliquod ſpectare poſſit, vel ſpectaret ex teſtamentô, ſive ab inteſtatô, vel quocumque aliô modô, aut titulô, illi idem, Jus in omnibus, & per omnia omninò conſequantur, ac ſi publicè, ſolemniterquè noſtrô propriô verbô, atquè adeò ipſa Noſtra Manû, eſſent immediatè legitimati, nullâ prorſus Juris, aut facti exemptione, nec quocumque aliô impedi-

pedimentô, quod dici, excogitarique possit obstantibûs.

Præterea Potestate nostrâ Cæsareâ, non modò confirmamus, admittimus, & expresse declaramus, ut quos Nobiliores quâcunque causâ, & quôcumque titulô reddideritis, nobiliss. hi, eorumque nati, & qui nascentur ab illis, semper permaneant; verùm etiam, ut, quos infamiâ, aut dedecore quantùmvis turpi, liberaveritis, mox in amplissimô receptæ honestatis, recuperatæve laudis locô reponant. Sed quia ineuntibus domibus imponere Cognomina, dare Arma novis Personis, & Stemmata inserere Gentilitiîs Insignibus, alterutram bicipitem Aquilam Imperialem superaddere, Equitibus, & Cingulum, & rubeam Crucem aurô fimbriatam Constantinianam: manumittere servos, Liberos mancipare, adoptiones concedere, & stabilire: monetas, vel aureas imprimere, litteras, & Privilegia, cum appensione Sigilli plumbeâ, vel argenteâ, sive etiam aureâ expedire; hæc cûm Jure hæreditariô, & ex multis Pontificiîs, Cæsareisque Privilegiîs jàm domestica, & ferè propria Illustriss. Palæologæ Tuæ Domus videantur: Nos omnia præmissa, & alia id genus usquè quaquè confirmandô, conservandô, ac præsentis scripti Patrociniô muniendô, potiùs attestamur, laudamus, aliorumque Comitum Auctoritatibus præficimus, quàm quod facilè augeri, ampliarique posse cognoscamus.

ſcamus. Pacificè igitur, & quietè quæcunque Progenitoribus Tuis, Tibi, ac tuis filiis, veſtriſque hæredibus, & ſucceſſoribus omnibus in perpetuum tradita, indulta, largita, relictaquè ſunt, aut ab Orientalibus veſtris Impp. aut à Sereniſſ. Prædeceſſoribus noſtris, nec non ab omnibus Summis Pontificibus, poſſidetis, & poſſidebitis, cum illâ, eâdemque liberâ facultate, & abſolutô, continuôque dominiô, vel transferendi, & derivandi, in defectu maſculorum, aut fœminarum, generis cujuſcumque (quod omen DEUS avertat) ex Illuſtriſſ. veſtra Palæologa Familia, in aliam, quam volueris, omnes, & quaſcumque Auctoritates, gratias, prærogativas, Jurisdictiones, feuda, beneficia, indulta, & privilegia, Tibi, vobisque, hucuſquè quomodolibet impartita, & conceſſa, non obſtantibus legibus, ſtatutis, decretis, Edictis, reſcriptis, reformationibus, conſtitutionibus, Deciſionibus, exemptionibus, regulis, ſententiîs, Diplomatibus, Sanctionibus, cujuſcumquè mentionis, & tenoris, tàm factis, quàm faciendis, aut à Nobis, aut à Succeſſoribus noſtris, Regibus, Principibus, Rebus publicis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Civitatibus, Univerſitatibus, Rectoribus, Dominis, aut Officialibus generis cujuſcumquè, & quorumcumquè locorum, & Terrarum, ſub quibuſcumquè clauſulis, aut expreſſione verborum, etiamſi forent talia, de quibus eſſet de verbô ad verbum facienda ſpecia-

ſpecialis mentio, in contrarium ſtatuentibus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc noſtræ confirmationis, ſanctionis, decreti, Voluntatis, gratiæque paginam infringere, aut ei quôvis modô, ausû temerariô contraire, ſub pœna indignationis noſtræ graviſſimæ, & Marcarum auri puriſſimi centum : quas contra facientes, toties, quoties contra factum fuerit, ipsô factô ſe noverint irremiſſibiliter incurſuros. Quarum medietatem Imperialis noſtri Fiſci, reſiduam verò partem injuriam paſſi, aut paſſorum uſibus decernimus applicari. Præſentium ſub noſtræ Imperialis Majeſtatis Sigillô, noſtrâque ſubſcriptione teſtimonium litterarum. Datum in Civitate noſtra Imperiali Rotisponæ XIII. Kalend. Auguſti MDLXXVI. Indictione IV. Regnorum autem noſtrorum Anno XII.

MAXIMILIANUS.

Mar. Archiepiſc. Moguntinus Archicancel.
Lau. Kedſ.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium
Zac. Ros Vuimphel.

Appenſi Cæſarei Sigilli locus.

Supradictam Copiam Diplomatis Fel. rec. Maximiliani II. Romanor. Imperatoris, in Archivio ſecreto Excell. Cam. Capitolii Inclyti Populi Romani exiſtentis, ſub meâ cuſtodiâ ſervati, de Mandato Celſiſſimi Domini Comitis Joannis Antonii Laſcaris, de verbô ad verbum, omni cum diligentiâ tranſum-

N ptavi,

ptavi, & cum ſupradicto Diplomate concordare inveni, ſalvô ſemper &c. in quorum fidem &c. ex Capitolio hâc die 14. Januarii 1719.

(L.S.) Ita eſt, Sanctes Randaninus S.P.Q.R. Scriba &c.

IN Nomine Domini Amen. Præſenti publicô Inſtrumentô cunctis ubiquè pateat evidenter, & ſit notum, quòd annô ab ejusdem D. Noſtri JESU Chriſti ſalutiferâ Nativitate Milleſimô ſeptingenteſimô decimô nonô, Indictione Romanâ duodecimâ, Pontificatûs autem in eod. Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Pap. XI. annô ejus decimô nonô, In mei. Perilluſt. D. Sanctes Randaninus Sac. Sen. P. Q. R. Scriba, fil. q. Joſephi, Romanus mihi &c. cogn. ſpontè, ac aliàs omni. med. recognovit, & recognoſcit ſupra ſcriptam ejus manum, litteras, & characteres etiam ſuæ ſubſcriptionis in forma; ſimilique Juramentô, tactis, aſſeruit, & affirmavit, omnia, & ſingula in intropræfata Atteſtatione tranſumpta, contenta, & expreſſa, vera fuiſſe, & eſſe, & tanquàm talia ratificavit, & ſic tactis, Juravit. Super quibus &c. Actum Romæ in officiô mei &c. Præſentibus D. Juliô Bubani, fil. D. Antonii Rauennaten. & D. Sancto Hippolyti q. Narciſſi Romanô teſtib. &c.

(L.S.) Ego Andreas Tanzius Cauſ. Cur. Cap. Prot. de præmiſſis rog. præſens Inſtrumentum ſcripſi, ſubſcripſi, & publicavi, meôque ſolitô ſignô munivi requiſitus in fidem.

(L.S.) Ita eſt, Carolus Angelinus I. P. Rom. Secret.

Auſpi-

Auſpicatiſſimus hic Auſtriacorum in bonos omnes Candor, Serenitas, & Clementia, cui benefacere, tàm proprium, quàm lucere Soli, ex Aug. Romanornm Imp. FERDINANDO II. Pio, Juſto, Felice, paribûs radiîs enituit: Dùm Sacerrimam Palæologorum Dignitatem, Honorem, ac Memoriam, avitâ dignatione Cæſareâ adſertam, agnovit, adprobavit, confirmavit: ut inclyt. & olim Imperatoria hæc Proſapia, quàm cæca illa Diva, quæ perpetuò, vertigine res humanas verſat, pluſquàm novercalibûs odiîs longùm, multúmque perſecuta eſt, tandem ſub umbrâ Alarum Aquilæ Magnæ quieſceret paulùm; & Juris ſui certa, Fortunæ contumelias eluderet; & quô ſub clypeô? celebratiſſimæ Clementiæ Auſtriacæ, quam Literæ, quas quoquè adiicimus Diplomaticæ, teſtantur in æternum.

FERDINANDUS Secundus &c.

AGnoſcimus, & notum facimus, tenore præſentium Univerſis, quòd cùm Nobis Vir Illuſtris Nominis, Joannes Andreas Angelus Flavius Comnenus, Princeps Macedoniæ, & Moldaviæ, Comes Drivaſti, & Dirrachii dictus, humiliter expoſuerit; non ſine magnô ſe doloris ſenſu, Annales, & monumenta vetera legentem, recordari, & ingemiſcere ſolere, non tàm de eo, quòd antiquum Familiæ ſuæ ampliſ-

ſimæ, & quondàm potentiſſimæ, Splendorem, ex qua LXXI. Imperatores, tàm Romani, quàm Græci exorti, per annos 764. vel utrumquè, vel alterum Imperium tenuerint, in arctum rediiſſe videat; quàm quòd ſimul etiam advertat, Ordinis Militaris Aurati Angelici, qui à Divo quondàm Conſtantino Magno Imperatore inſtitutus, ac poſtmodùm ab Iſaacio Angelo Comneno, aliîſque deinceps Imperatoribus, nec non, & Romanis Pontificibus auctus, & amplificatus, ſub Regula D. Baſilii, & Patrociniô, ſive Tutelâ Sancti Georgii militat, cujuſque ſibi, tamquàm à dicto Iſaacio Angelo Comneno continuâ, non interruptâ ſerie deſcendenti, jure ſucceſſionis, & Sanguinis, Magnum Magiſterium competat, celebratum Hiſtoriîs, Virtutis militaris decus, uſquè adeò non obſervatum eſſe, vix pauci, ut ex ſcriptis præclari illius Ordinis meminerint; Id verò ipſe cùm ex eô maximè accidiſſe comperiat, quòd Privilegia, & Gratiæ Majoribus, & Ordini ſuo, ab ante memoratis Romanorum Imperatoribus, Prædeceſſoribus noſtris, conceſſæ, ab iis, ad quorum Tutelam confugerant, non eâ, quâ oportebat, Patrocinii curâ, ſartæ, & tectæ conſervatæ ſint; ideóque ipſe, in reſtitutionem Ordinis ſui incumbens, id in primis ſecum ſtatuerit, opus ad hoc ſibi, Noſtræ, & Auguſtæ Domûs Noſtræ Auſtriacæ ope, & Patrociniô eſſe, cujus clientelæ, ac protectioni, cum ſuis, jàm tùm ſe ſubiicere,

re', ac tradere decreverit; ac proinde Nos, debitâ cum devotione rogaverit, ut se suplicem benignè suscipere, opemque, & Patrocinium nostrum præstare, ac in primis Privilegia jàm antiquitùs, ut memoratum est, Ordini suo indulta, & concessa, pari munificentiâ cum Prædecessoribus nostris, ex Potestatis nostræ Cæsareæ plenitudine, confirmare dignaremur; Nos sanè, non minùs calamitatem Magnæ Familiæ, ex quâ prædictus Joannes Andreas Angelus exortus perhibetur, quàm ipsius Ordinis fortunam considerantes, quem ad paucos redactum ætas nostra videt, internô quôdam humani, piiquè affectûs sensu, commoti fuerimus, dignumquè Augustâ Pietate, & munificentiâ nostrâ Cæsareâ duxerimus, vel ad vetustæ, Familiæ, de quâ relatum, reliquias resuscitandas, vel ad decus instaurandum tàm præclaræ Militiæ, opem, & auxilium nostrum conferre; Moti quoquè ad hoc, eâ inter aliàs ratione, quòd de hoc Institutô, cum nostros, ac Sacri Imperii Principes quosdam præclarè admodùm sentire; tùm illud à Serenissimô etiam Fratre nostrô Archiduce Leopoldô, commendari audivimus. Ex certâ nostrâ scientiâ, maturâ hâc super re, deliberatione cum Proceribus nostris habitâ; prædicto Ordini Sacro Militiæ Angelicæ Auratæ Constantinianæ Sancti Georgii, ejusque Ordinis Magnis Magistris, ex prædicta Imperiali Familiâ natis, aut nascituris, omnia, & singula sua Privilegia, prærogativas,

 exem-

exemptiones, & gratias, vel concessiones quascumque, sive à Summis Ecclesiæ Pontificibus, sive à Prædecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus, ipsi, datas, factas, confirmatas, in omnibus suis punctis, clausulis, & articulis perinde, ac si de verbô ad verbum, omnia, & singula his litteris nostris inserta, & comprehensa essent, ratificamus, approbamus, & confirmamus; volentes, & hôc Edictô nostrô Cæsareô statuentes, quòd memoratus Ordo Sacer Militiæ Angelicæ Auratæ Constantinianæ Sancti Georgii, omnibus illis, & nominatim hâc, quam peculiariter ipsis confirmamus, gratiâ, portandi nimirùm omnis generis Arma, tàm offensioni, quàm defensioni idonea, perinde, ut alii Religiosorum Ordinum Equites, sub omnibus, & singulis Nobis, & Sacro Imperio mediatè, vel immediatè subjectis Terris, Provinciîs, & Ditionibûs, uti, frui, & gaudere debeat, & possit, de Potestatis nostræ plenitudine, nemine contradicente, quod ità tamen intelligi volumus, si ipse Ordo jàm ante in possessione eorum sit, & quatenus id nequè in præjudicium supremæ Eminentiæ, & Regalium, aliorumve nostrorum, vel alterius cujuscumque jurium cedat. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc nostræ Concessionis, Innovationis, Confirmationis, & Gratiæ paginam, infringere, aut ei quôvis ausû temerariô contraire, sub pœnâ indignationis nostæ gravissimæ, & centum marcarum

auri

auri puri, quâ contrafacientes irremiſſibiliter, medietate Fiſco, ſeu ærario noſtro Imperiali, reliquâ verò parte, injuriam paſſi, ſeu paſſorum uſibus applicandâ, plectendos decernimus. Harum teſtimoniô litterarum, quarum tranſumptis, à magnô prædicti Ordinis Cancellariô, aliâve quâvis perſonâ, in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutâ, authoritatis, eandem, quam originalibus fidem haberi volumus: quæ manûs noſtræ ſubſcriptione, & Sigilli Cæſarei appenſione munitæ. Dabantur in Civitate noſtrâ Imperiali Ratisponæ, die tertiâ Menſis Novembris Anno Domini milleſimô, ſexcenteſimô, trigeſimô. Regnorum noſtrorum Ramani duodecimô, Hungariæ decimô tertiô, Bohemici verò decimô quartô.

(Locus Magni Sigilli.)

Præſentis Cæſarei Diplomatis Copia, cum Archiviô Imperiali aulico latino, fideliter collationata, cum eo concordat per totum, id quod imprimis Impreſſione Sigilli Cæſarei ſecreti, & deindè manus meæ ſubſcriptione atteſtatum ſit. Datum Viennæ die 24. Jan. 1719.

Joannes Germanus Nolden, Regiſtrator,
& Archiviarius ibidem.

Divus etiam Imp. Cæſarum Cæſar, LEOPOLDUS, Aug. Pius, Magn. æquâ Avorum Pietate, ac piâ æquitate, Angelam, Flaviam, Comnenam, Laſcaram Palaeologam Familiam, confeſſô jàm Jure vindi-

vindicatam, in Tutelam ſuſcipere dignatus eſt; ut tàm patenter, quàm clementer tutaretur, adversùs publicas, privatáſque injurias, quæ aliàs ſpretæ exoleſcunt. Hanc Clementiſſ. Cæſaris Pietatem, Manſuetudinem, ac Beneficentiam ſequens Cæſareum explicit Decretal.

LEOPOLDUS &c. &c.

AGnoſcimus, & notum facimus, tenore præſentium univerſis, quòd cùm Nobis Vir Illuſtris Angelus Maria Flavius, Comnenus, Macedoniæ, Princeps, Comes Drivaſti, & Dirrachii dictus, Sacri Ordinis Militiæ Angelicæ Auratæ Conſtantinianæ Sancti Georgii Magnus Magiſter, humiliter expoſuerit, Conſobrinum, & Anteceſſorem ſuum, dicti Ordinis Magnum quòndam Magiſtrum, Joannem Andream, à Divo quòndam Avô, & Prædeceſſore noſtro colendiſſimo, Romanorum Imperatore Ferdinando Secundo, glorioſæ memoriæ, privilegiorum, prærogativarum, exemptionum, & gratiarum memoratæ Militiæ Angelicæ Auratæ, ſive à Summis Pontificibus, ſive Romanorum Imperatoribus, Prædeceſſoribus noſtris glorioſiſſimis, conceſſarum, confirmationem obtinuiſſe in hæc verba: *Inſeratur Confirmatio Ferdinandi Secundi*: Porróque ſupra memoratus Angelus Maria Flavius Comnenus, Macedoniæ

doniæ Princeps, tamquàm ſupradicti Sacri Ordinis modernus Magnus Magiſter, demiſsè rogaverit, ut & Nos, laudabili Prædeceſſorum noſtrorum inſtituto, atquè exemplo, veſtigiiſque dicti colendiſſimi quòndam Domini Avi noſtri Ferdinandi Secundi, Romanorum Imperatoris inſiſtentes, ſupra mentionata ſui Ordinis Privilegia, atquè immunitates, confirmare, & Authoritate noſtrâ roborare clementer dignaremur;

Nos ſanè, non minùs memoriam Magnæ Familiæ, ex qua prædictus Angelus Maria exortus eſſe perhibetur, quàm ipſius Sacri Ordinis fortunam recolentes, Ipſum dignum Auguſtâ Pietate, & munificentiâ noſtrâ Cæſareâ duximus: qui proindè ex certa ſcientia, maturâ priùs, hâc ſuper re, deliberatione habitâ, prædicto Ordini Sacro Militiæ Angelicæ Auratæ Conſtantinianæ Sancti Georgii, ejuſquè Ordinis Magnis Magiſtris, ex ſæpiùs mentionata Imperiali Comnenorum Familia natis, aut naſcituris, omnia, & ſingula ſua Privilegia, prærogativas, exemptiones, & gratias, vel conceſſiones quaſcumque, ſive à Summis Pontificibus, ſive à Prædeceſſoribus noſtris, Romanorum Imperatoribus, ac noviſſimè à Divo Ferdinando Secundo, Domino Avo, & Prædeceſſore noſtro colendiſſimo, ipſi datas, factas, confirmatas, in omnibus ſuis punctis, clauſulis, & articulis, perindè, ac ſi de verbô ad verbum, omnia, & ſin-

gula his litteris noſtris inſerta, & comprehenſa eſſent, ratificamus, approbamus, & confirmamus; volentes, & hôc Edictô noſtrô Cæſareô ſtatuentes, quòd memoratus Ordo Sacer Militiæ Angelicæ Auratæ Conſtantinianæ Sancti Georgii, omnibus illis, & nominatim hâc, quam peculiariter ipſis confirmamus, gratiâ, portandi nimirùm omnis generis Arma, tàm offenſioni, quàm defenſioni idonea, perinde, ut alii Religioſorum Ordinum Equites, ſub omnibus, & ſingulis Nobis, & Sacro Imperio mediatè, vel immediatè ſubjectis Terris, Provinciîs, & Ditionibûs, uti, frui, & gaudere debeat, & poſſit, de Poteſtatis noſtræ plenitudine, nemine omninò contradicente, quòd eatenùs intelligi volumus, quatenus ſi ipſe jàm ante in poſſeſſione eorum eſt, nec in præjudicium ſupremæ Eminentiæ, & Regalium, aliorumve noſtrorum, vel alterius cujuſcumque jurium cedat. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc noſtræ Conceſſionis, Innovationis, Confirmationis, & Gratiæ paginam, infringere, aut ei quôvis ausû temerariô contraire, ſub pœnâ indignationis noſtræ graviſſimæ, & centum marcarum auri puri, quâ contrafacientes irremiſſibiliter, medietate Fiſco, ſeu ærario noſtro Imperiali, reliquâ verò parte, injuriam paſſi, ſeu paſſorum uſibus applicandâ, plectendos decernimus. Harum teſtimoniô litterarum, quarum tranſumptis, à magnô prædicti Ordi-

Ordinis Cancellariô, aliâve quâvis perſonâ, in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutâ, authoritatis, eandem, quam originalibus fidem haberi volumus: quæ Manûs noſtræ ſubſcriptione, & Sigilli Cæſarei appenſione munitæ. Dabantur Viennæ 25. Junii Anno Domini 1671. Regnorum noſtrorum Ramani 13. Hungarici 17. Bohemici verò 15.

(Locus Magni Sigilli.)

Præſentis Cæſarei Diplomatis Copia, cum Archiviô Imperiali aulico latino, fideliter collationata, cum eo concordat per totum, id quod imprimis Impreſſione Sigilli Cæſarei ſecreti, & deindè manus meæ ſubſcriptione atteſtatum ſit. Datum Viennæ die 24. Jan. 1719.

Joannes Germanus Nolden, Regiſtrator,
& Archiviarius ibidem.

Solicita, ſolida, ſola magnarum rerum Cuſtodia. Sereniſſ. D Jo. Antonius, qui ex nunc, Jure Sanguinis, Princeps, Eques, & Magnus Magiſter eſt Angelici Ordinis Conſtantiniani, Aug. Angelæ Flaviæ Comnenæ Laſcaræ, Palæologæ, Cæſareæ ſuæ Gentis, & Mentis non immemor, ſecundùm exempla Patrûm, ab Inclyt. Senatu Rom. ſe pariter agnoſci fecit. Hæc conſultiſſima Palæologorum ratio, Almæ Gentis ſuæ adversùs injurias Fatorum conſervandæ, & adſerendæ, inconcuſſam quoquè ejus, atquè conſtantem præſtitit memoriam; quam nulla dein-

ceps

ceps Invidia; nulla temporum confusio; nulla Fortunarum ruina delebunt.

Cùm illud cujusque sit proprium, quô quisque Jure frui potest, & uti; Sereniss. qui vivit, *D. Joannes Antonius*, vetustissimô Cæsarum Orientalium Stemmate (cujus Genealogica Arbor in fine exhibetur) Felix: illísque Bonîs, quæ fortuna nequè dare, nequè eripere potest; Et Sanguinis, & Ordinis sui Jura vindicare: & CÆSARE Augustùm Imperante coram adserere: ac Ejus Majestati, tanquàm sospitali, hospitaliquè DEO, & sua, consecrare voluit.

Augustissimus, Potentissimus, Invictissimus CAROLUS VI. Imperator Romanor. Clementissimus, quem Principem Optimum facilè dicas, Maximum libenter, Sereniss. *D. Jo. Antonium Lascarum* (*Lascarem*) proindè, honoratissimô Assensûs genere, S. Regn. Hungariæ antiquissimis Nobilium Ordinibus adscripsit; ut eôdem in Regnô, omnium beatissimô, in quô Mars Austriacus invictæ *Crucis* Trophæum nuper restituit, & ter, & ampliùs triumphavit, hujus triumphatæ magìs, quàm victæ Gentis, Cæsareæ memoria, in Nepotibus annare possit, & perennare. Sanctissimum propitiæ Voluntatis Imperatoriæ, Regiæquè Decretum est.

NOS

NOS CAROLUS SEXTUS,

Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator, semper Augustus &c. &c.

MEmoriæ commendamus tenore præsentium, significantes, quibus expedit, universis. Quod cùm inter cætera Virtutum Imperatoriarum munera, atquè officia, quibus Thronus Principum circumseptus sublimioris eminentiæ radios longè, latéque per universum Orbem diffundere consuevit, non postremum locum sibi vindicet liberalitas, & benigna erga quosvis præclarissimarum Virtutum, & eximiorum gestorum speciminibus claros, & conspicuos exercenda propensio, quibus Principes ipsi, Regna, & Provincias suas augere, & non solùm Viros de Patriâ, & Republicâ Christianâ bene meritos, quò ad majora quæquè prosequendarum, & continuandarum Virtutum studia excitentur, benignè cumulare, verùm etiam Alienigenas quoquè, seu extraneas Nationes, ac Familias ad pronam iisdem Principibus subjectionem, fidemque, & fidelitatem præstandam, plenô cum desideriô anhelantes, ubertim condecorare consueverunt. Hinc Nos quoquè, qui, DEI ter Optimi Maximi nutû, ultra Regium splendorem, Imperialis etiam Dignitatis culmine, omnes alios Christiani Orbis Principes antecellimus, nihil

priùs, nihilquè antiquiùs ducimus, quàm præclara Anteceſſorum noſtrorum, Divorum condam Imperatorum, & Hungariæ Regum inſtituta, & veſtigia, tùm in aliîs, tùm verò hâc in parte firmiter imitari, & Viros, quos, vel honeſtâ generis origine claros, vel vitæ, morumque integritate conſpicuos, atquè Virtutum ornamentis præditos animadvertimus, Gratiâ, & favore noſtris proſequi, adeóque commodis, & ornamentis eorum juvandis, promovendisque intenti eſſe conſueverimus. Ac proindè tùm hâc ipsâ ex ratione, cùm verò in benignam ſumentes reflexionem, inſignem Natalium Splendorem, vetuſtiſſimæque, ac celeberrimæ Proſapiæ Nobis dilecti Illuſtris Viri, Joannis Antonii Flavii Angeli Comneni Laſcaris Palæologi, Patritii Romani, aliàs verò ex Conſtantinis Palæologis, olim Orientis Imperatoribus, deſcendentis, Originem clariſſimam; tùm denique, ac vel potiſſimùm id clementi revolventes animô, quòd aliunde etiam Antenati ipſius, & nominanter Aloyſius Blancus Palæologus, condam Epidauri, & Corinthi Dux, ex genere ſupra fatorum Orientis Imperatorum ortus, poſteaquàm Mahometes Secundus, Turcarum Imperator, Conſtantinopolim, ſeu Bizantium, à Conſtantinô olim decimô quintô, æquè Palæologô, vi, & potentiâ mediante occupaſſet, ipſumquè Imperiô Orientali exuiſſet, poſt tantam videlicet rerum, ac fortunarum jacturam, ac viciſſitudi-

tudinem, apud Augustissimam Domum nostram Austriacam asylum quærendô, semet unà cum suis Descendentibus, Tutelæ, Protectioni, & Clientelæ Serenissimi olim Romanorum, & totius Occidentis Imperatoris, & Archiducis Austriæ, Friderici Tertii, utpotè Prædecessoris nostri, gloriosæ reminiscentiæ, spontè, & liberè submiserint, ab eodemquè Friderico Imperatore, non solùm benignè recepti, verùm etiam singularibus Prærogativis, Honoribus, ac Titulis, utpotè Comitum Palatii Palatinorum, Principum Macedoniæ, & Magnorum Magistrorum Militiæ Auratæ Constantinianæ Ordinis Sancti Georgii, aliîsque, quàm plurimis Immunitatibus benignè dotati, specialiquè superindè Diplomate, seu Privilegiô, per subsequentes etiam Serenissimos Romanorum Imperatores, ac Reges Hungariæ, utpotè Maximilianum Secundum. Ferdinandum æquè Secundum, & Leopoldum Primum, Dominos respectivè Genitorem, Proavum, & Tritavum, atquè pariter Prædecessores nostros, semper ad humillimam præfati Aloysii Blanci Palæologi descendentium Instantiam, modîs, formîs, & conditionibûs ibidem uberiùs expreſsîs, clementer confirmatô, ornati, & cumulati extiterint: Quemadmodùm præmissa omnia, ex authenticis, & fide dignis Privilegiorum, & Documentorum transumptis, per Eundem productis, ac coram Majestate Nostrâ repræsentatis, ubertim remonstrata extiterunt. Cùm

Cùm igitur ob id, tùm verò impensius considerantes propensum Ipsius prænominati Joannis Antonii Flavii Angeli Comneni Lascaris Palæologi animum, peculiaremque quemdam ergà memoratum Regnum nostrum Hungariæ, Sacramque ejusdem Coronam, & concomitanter, Gentem etiam, ac Nationem Hungaricam, affectum, quibus ipsum eidem Regno nostro, & prælibatæ Sacræ ejusdem Coronæ fideliter, constanter, atquè utiliter servire, ibidemquè etiam Incolatum suscipere, Bona stabilia sibi procurare, taliterquè in eôdem Regnô, publicum Domini, ac Regis sui, Regniquè servitium promovere, pactôque hôc, in debita, erga Augustissimam Domum nostram Austriacam, Sacrumquè Diadema Regium, fide, ac devotione, vivere, ac mori cupere; imò tàm semet ipsum, quàm etiam totam Posteritatem suam ad id obligare, ex humillima ejusdem, Majestati nostræ demissè repræsentatâ Instantiâ, & Supplicatione benignè cognovimus. Eundem itaquè Joannem Antonium Flavium Angelum Comnenum Lascarum Palæologum, ejusdemquè legitimos descendentes, utriusquè Sexûs universos, DEI beneficiô nascituros, ex certâ nostrâ scientiâ, animôquè deliberatô, ac de Cæsareæ, Regiæquè Potestatis nostræ plenitudine, & gratiâ speciali, in cœtum, numerum, ac Ordinem verorum, antiquorumquè, ac indubitatorum annotati Regni nostri Hungariæ, & Partium eidem annexarum

rumIndigenarum duximus recipiendum,annumerandum, & aggregandum; Annuentes, & ex certâ noſtrâ ſcientiâ, animôque deliberatô concedentes, ut Idem Joannes Antonius Flavius Angelus Comnenus Laſcaris Palæologus, à modò impoſterùm, futuris, & perpetuis ſemper temporibus, omnibus illis Privilegiîs, Indultis, Libertatibus, Honoribus, Prærogativis, Juribus, & Immunitatibus, quibus cæteri veri, antiqui, & indubitati ejusdem Regni noſtri Hungariæ, Partiumve ei annexarum fideles Indigenæ, de Jure, naturâ, vel conſuetudine, quôvis modô utuntur, fruuntur, & gaudent, pariter uti, frui, & gaudere poſſit, ac valeat, hæredesquè, & Poteſteritates Ipſius legitimè Deſcendentes, DEI beneficiô naſcituri, utriûsque Sexûs univerſi, valeant, atquè poſſint: Ita nihilominus, & eâ expreſsâ cum conditione, ut Idem Joannes Antonius Flavius Angelus Comnenus Laſcaris Palæologus, tàm ſuô, quàm præſcriptorum deſcendentium ſuorum nomine, ſuper antelatô Indigenatû, Juramentum, ſeu Homagium deponere hôcce nimirùm modô: Egò Joannes Antonius Flavius Angelus Comnenus Laſcaris Palæologus; Quoniam Sacratiſſima Cæſarea, atque Regia Majeſtas, Dominus Dominus meus Clementiſſimus, me ad meam humillimam ſupplicationem, in numerum, & cœtum verorum hujus Regni Hungariæ Indigenarum, creare, recipere, & acceptare dignata eſt; Ob

P hoc,

hoc, Juro per DEUM verum, & gloriosam DEI Genitricem Virginem Mariam, & per omnes Sanctos & Electos DEI: Quòd Ego, præfatæ Cæsareæ Majestati, tanquàm Regi Hungariæ, & Ejusdem Majestatis Cæsareæ Successoribus, similiter Hungariæ Coronæ, & toti Regno, perpetuam fidem, & fidelitatem observabo, ac Jura, Libertates, Privilegia, Decreta, Consuetudines, & alias omnes Immunitates hôc Regnô Hungariæ observatas, nullis viîs directîs, vel indirectîs, palàm, vel occultè, consiliô, factîs, vel aliô quôcunq; modô, violabo, aut turbabo, sed totô posse meô, etiam, si res ita postulaverit, cum vitæ meæ extremâ necessitate, tuebor, & conservabo, juribus, Decretis, & consuetudinibus ejusdem Regni, in omnibus semper parebo, & obedientem me exhibebo, Dominia, metas, ac terminos ejusdem Regni Hungariæ, & Partium sibi subjectarum, ab eôdem Regnô, nulla ratione alienabo, & alienata, instar aliorum Regnicolarum recuperare enitar, ad quæ omnia præmissa fideliter observanda, me, & meos Hæredes obligo, & adstringo. Sic me DEUS adjuvet, Beata Virgo MARIA, & omnes Sancti.

Depositoquè Eodem Juramentô, & consuetis Superindè litteris Testimonialibus extractis, Constitutionibus etiam sæpè fati Regni nostri Hungariæ super Indigenàtû sancitis, satisfacere, ac occasione proximè affuturæ ejusdem Regni Diætæ, tempore, semet pro

pro inserendo de more publicis ipsius Regni Articulis, & Constitutionibus ejusdem nomine coram Statibus, & Ordinibus præcensiti Regni nostri Hungariæ sistere, & præsentare, ac ea omnia, & singula, quæ in præinsertô Juramentô continentur, ritè observare debeat, ac teneatur, præscriptiquè ejusdem Hæredes, & Posteritates, legitimè descendentes, DEI beneficiô nasciturí, utriusquè Sexûs universi, debeant, ac teneantur, sintquè adstricti, & obligati. Imò recipimus, aggregamus, annumeramus, annuimus, & concedimus, præsentium nostrarum Secretô majori Sigillô nostrô, quô, ut Rex Hungariæ, utimur, impendenti, in perpetuam rei memoriam communitarum, Ipsique Joanni Antonio Flavio Angelo Comneno Lascari Palæologo, ejusdemquè Hæredibus, & Posteritatibus legitimè descendentibus, DEI beneficiô nascituris, utriusquè Sexûs universis, extradatarum Privilegialium Litterarum vigore, & testimoniô mediante. Datum per manus Fidelis Nostri Nobis sincerè dilecti Spectabilis, ac Magnifici Comitis Nicolai Illésházii, de eâdem Hæreditarii in Trenchin. ejusdemquè nominis, prout & Lyptoviensis Comitatuum, supremi, ac perpetui Comitis, actualis Intimi Consiliarii nostri, & per dictum Regnum Hungariæ, Aulæ nostræ Cancellarii, in Archiducali Civitate nostrâ Viennâ Austriæ, die quintâ Mensis Aprilis Anno Domini millesimô septingentesimô vigesimô, Regno-

 rum

rum noſtrorum Romani nonô, Hiſpaniarum decimô ſeptimô; Hungariæ verò, Bohemiæ, & reliquorum Annô ſimiliter nonô, Reverendiſſimis, Sereniſſimo, ac Venerabilibus in Chriſto Patribus, Dominis, Chriſtianô Auguſtô, Duce Saxoniæ, Principe, Metropolitanæ Strigonienſis, ac Emerico è Comitibus Csáky, Colocenſis, & Bachienſis Eccleſiarum canonicè unitarum Archi-Epiſcopis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteris Cardinalibus; Comite Gabriele Antonio Erdődi, Agrienſis, prælibatis Chriſtianô Auguſtô, Jaurienſis, & Emerico Csáky, Varadienſis Adminiſtratoribus; Comite Ladislao Adamo Erdődy, Nitrienſis; Fratre Emerico è Comitibus Eſterházy, Zachrabienſis; Comite Ottone Joanne Baptiſta à Volckra, Veſzprimienſis; Fratre Ladislao è Comitibus de Nadasdi, Cſanadienſis; Comite Franciſco Wilhelmo à Neſſelrodt, Quinque Eccleſienſis: Georgio Gillanyi, Tininienſis; altero Georgio Libero Barone Mártonffy, Tranſylvanienſis; Petro Bakich, Boſnienſis; Franciſco Joſepho Wermich, Sirmienſis; Nicolao Pohmaievich, Segnienſis, & Modruſienſis, ſeu Lorbavienſis; Michaële Friderico Santæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali è Comitibus ab Althann, Vacienſis, & Emerico Libero Barone Pongraćz, electo Pharenſis, Eccleſiarum Epiſcopis Eccleſias DEI fideliter Gubernantibus. Item Spectabilibus, ac Magnificis, Comite Nicolao Palffy ab Erdőd,

dôd, Judice Cumanorum, Aurei Velleris Equite, dicti Regni nostri Hungariæ Palatino, & locum Tenente nostrô Regiô; Comite Stephanô Koháry de Csabrág, Judice Curiæ nostræ Regiæ; Comite Joanne Palffy à prædictâ Erdôd, antelatorum Regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banô; Comite Sigismundô Csáky de Kereſztzeg, Tabernicorum; Comite Marcô Czobor de Czobor ſzent Mihály, Janitorum; Illustri Sacri Romani Imperii Principe Michaële Eſzterházy de Galántha, Curiæ officio Pincernarum vacante; Comite Joanne Kery de Ipolyker, Agasonum; Comite Joanne Draskovich de Frákostyan, Cubiculariorum; Comite Petrô Zichy de Vásonkeo, Dapiferorum nostrorum Regalium per Hungariam Magistris, ac prælibato Comite Nicolao Palffy, à repetitâ Erdôd, Comite Posoniensi, cæterisquè, quàm plurimis toties fati Regni nostri Hungariæ Comitatûs Tenentibus, & Honores.

CAROLUS.

(L.S.) Major. pendent.

Comes Nicolaus Illésházy,

Ladislaus Hunyady.

Hujus

Hujus ampliſſimi Diplomatis , ſicut , & aliorum, exemplar, fide publicâ formatum, & firmatum, ne Tabellæ diſperſæ viderentur, è longinquâ Scriniorum Cuſtodiâ , in publicæ lucis aleam prodiit: ac Typographices Beneficiô Ratisponæ nuper diem noſtrum haurire cœpit. Quod exemplum ſecuti, hæc eadem Diplomata, velut Numinum Effata, venerandaquè Vetuſtatis, & Veritatis Arcana, cum quâdam Ordinis *Anacephalæoſi* Hiſtoricâ, publicîs iterùm Typîs excudi curavimus.

Quæ quidem Res auſpicata, felix, fauſtaquè eveniat, Primo, Supremóque Magno Equeſtri Angelico Ordini Conſtantiniano Auratæ Militiæ Equitum S. GEORGII! qui Auſtriacâ à Tutelâ, Potentiâ, Clementiâ, reſtitutæ Dignitatis, Annos numerat: & tranſeundos eâdem Æternitate Auſtricâ definit,

F I N I T.



Auctores de materia tractantes-

Codex Theodoſ. Lib. de Præpoſ. Labaror.
Grætſerius de Cruce.
Platina in Vita S. Sylveſti.
Annal. Baron. Tom. 3. in Pontif. Melchiadis, & S. Sylveſtri. PP.
Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 9. cap. 9.
Euſebius Panfil. in vita Conſtantini M. lib. 3. c. 47.
Franciſcus Menenius in delic. Ord. Equeſtr.
P. Laurent. Finichiarius in Glor. S. Georgii M. fol. 16. §. 11.
Joſeph Micheli in Theſaur. militar. fol. 1.
P. Andreas Mendo de Ordin. Militar.
Albertus de Cepada in Orig. & Fundat. Ord. Conſtantiniani.
Zonera in Vita Conſtantini M.
Prudentius adverſ. Symach. lib. 1.
Onuphrius Panvinius Fact. lib. 2.
Bernard. Juſtinian. de Ordin. Equeſtr.
Joſeph Rodri Hiſtor. general. Hiſpan.
Hieron. Blanc. Hiſtor. Arragon.
Martin. de Viciara Hiſtor. Valentiæ.
Jacobus Boſius Hiſtor. Hyeroſol. Relig. p. 3.
Nicæphor. Hiſtor. Eccleſiaſt.
P. Miniati nelle glorie cadute della Familia Comnena part. 1. fol. mihi 113.
Alexand. ab Alexandr. Genial. Dier. lib. 4. c. 2.
Jacob. Bæjus de Munismat.
Jacob. Cujacius ad L. unic. Cod. de Præpoſ. Labar.
Eutropius in Conſtantin. M.
J. I. Hofman Lexic. univerſ. Vocab. Labar. & Monogram.
Jo. Mariana de reb. Hiſpan. lib. 4. c. 16.
Carol. Patin. de Munismat. Impp. Rom.
Henric. Spondanus. Annal. Eccleſ. An. C. 312.
Jo. Baptiſta d'Erby, in Deſcript. Imperial. Ord. Conſtantinian. impreſſ. Viennenſ. 1699. aliiquè.